

HIERONYMI

MERCVRIALIS

MEDICI PRAECLARISS.

TRACTATVS

DE MACVLIS PESTIFERIS,
DE HYDROPHOBIA

*Ipso praelegente, diligenter excepti,
& nunc primum editi.*



PAT AVII. Apud Paulum Meietum.
M D LXXX.

HIERONYMI

MERCURIALIS


MEDICINAE PRACTICAE

TRACTATUS

DE MACULIS PESTIFERIS
DE HYDROPHOBIA



14156



M D CXXIX
P. A. V. II. e. h. p. d. P. o. l. o. n. i. e. M. e. t. r. o. p. o. l. i. t. a. n. a.

EXCELL. MEDICO
ET PHILOSOPHO
NICOLINO MORONIO.

Paulus Meiectus. S. P. D.



*V*m Patavij olim Philosophia, & Me-
dicina maxima cum assiduitate ope-
ram dares; tot tantiq; officijs me
prosequere, ut ni fatear, me omnia
tua causa debere, tibi devinctum esse, atque in
perpetuum futurum; dementissimus sim. Hominis
enim qui mentis, & rationis particeps sit, propriū
esse existimo; ex omnibus virtutibus iustitiam
potissimum colere; sine qua hac nostra humana so-
cietas, nulla penitus esset. Non amare autem, qui
te summa benevolentia complectitur; non redde-
re beneficium, si potes, etsi, hoc fieri minime po-
test, non saltem gratias habere, atque agere ei, qui
apud te multa beneficia collocaverit, ingrati profe-
cto hominis esset. Ego igitur, ex quo me summa
humanitate familiariter usus fuisti, tam tui cu-
pidissimus, tibiq; deditissimus fui, ut nihil aut tam
magnum, aut tam paruum existimen, quod tua
caussa subire nolim. Non enim solum scholaris in

me propensa uoluntate fuisti, sed Medici, & Phi-
losophi multis uigiliis, & laboribus insignia, & or-
namenta consequutus, Bergomumq; cuius ciuita-
tis nobilissimus ciuis es, reuersus, quid omisisti, in
quo quanti me faceres, non ego solum, sed multi
alii intelligerent? Existimas enim presentem ami-
cum solum diligere non esse illius amicitia, qua à
solida uirtute profiscitur: sed et quamuis longo
interuallo distanti memoriam summa cum bene-
uolentia praestandam censes. Illud praeterea non me
parum afficit, ut te colam, atque obseruem, quod
non solum inter meos amicos es mihi amicissimus,
sed inter tuos ciues eum locum tenes, ut te omnes
diligant, summaq; reuerentia prosequantur: inter
medicos, & philosophos, non secundum doctrinae gradu
possides: inter bonos, quasi aliquod fulgentissimum
lumen, tuarum uirtutum chorus elucescit. Aseruò
igitur in te uno colendo atq; obseruando omnem o-
peram, mentem, atque cogitationem fixi, & loca-
ui. Quamobrem cum Excell: Hiero. Mercuria-
lis de pestiferis maculis tractatus mihi excuden-
dus esset. Eiusdem de canis rabidi morsu libellus
liber quoque de peste, quem alias meis typis in lu-
cem edidi, quod ita doctissimis hominibus placuis-
set, ut nullus in officina mea reperiretur, non po-

tui non hac opuscula tuo nomine inscribere, tum,
ut scias te mihi in animo, & pectore semper uersa
ri; tum ut tanti philosophi, & medici tractatus
medicus nomine munitus medici, et philosophi tu
tissimus ad manus hominum perueniret. Nulla
profecto alia mihi occasio commodior haectenus oc
currit, qua tibi quam meus in te animus propen
sus sit apertius significarem. Cum tamen non so
lum me in hac re tuis officiis non respondere, sed
etiam ne minimum quidem tuorum erga me meri
torum partem assequi certo sciam. Reliquum est
ut in posterum pro uirili coner, ut apertioribus, &
significantioribus argumentis, id tibi patefaciam.
Interea fac ualeas, & me ut soles ames. Datum
Patauio, Cal. Ianuarii. MDLXXX.

Bibliopola Lectoribus. S.



librum excellentissimi uiri Hier. Mercurialis de pestilentia, cuius iam diu nulla apud me extant exemplaria, assiduis uestris efflagitationibus recusurus, Studiosi iuuenes, nolui sine auctario illum prodire. Itaque addidi non solum de maculis, quae in febris pestilentibus apparent: tractatum; quem, quod eius facta est mentio in libro de peste, scio à uobis summopere desiderari. sed etiam alterum de hydrophobia, & argumenti pulchritudine, & disputationis subtilitate uobis, ut spero, gratisimum. In quibus excudendis, quantum in me fuit, summa diligentia est adhibita, & fides, ut ex optimo exemplari typis mandarentur: nam ab auctore ipso uix intrare potuimus, ut ederentur.

¶ Valete. ¶

INDEX CAPITVM.

Nomen & diffinitio affectus explicatur.	Cap. 1.
Ad quod genus symptomatis referatur affectus.	Cap. 2.
Proponitur dubitatio, & soluitur, necnon locus affectus explicatur.	Cap. 3.
Causse affectus proponuntur.	Cap. 4.
Due dubitationes circa predicta occurrentes proponuntur, et dissoluntur.	Cap. 5.
De signis morbis, & primò de distinctiuis.	Cap. 6.
De signis indicantibus presentem morbum.	Cap. 7.
De signis prognosticis.	Cap. 8.
Tria pulcherrima problemata proponuntur.	Cap. 9.
Primi problematis resolutio.	Cap. 10.
Secundi problematis resolutio.	Cap. 11.
Tertii problematis resolutio.	Cap. 12.
Triplex modus arcendi morbum proponitur.	Cap. 13.
De primo modo, qui præseruatio nuncupatur, necnon de signis dignoscendi canem rabidum.	Cap. 14.
De secundo modo, qui curatio post morsum dicitur.	Cap. 15.
De tertio modo, qui dicitur curatio morbi iam confirmati.	Cap. 16.

INDEX CAPITULORUM

De primis modis, qui per curatio post motum dicitur. Cap. 16.
 De secundo modo, qui curatio post motum dicitur. Cap. 15.
 De signis diuoluentibus curatio motum dicitur. Cap. 14.
 De primo modo, qui per curatio motum dicitur, necnon de signis diuoluentibus. Cap. 13.
 Triplex modus arcendi motum dicitur. Cap. 12.
 Tertii problematis resolutio. Cap. 11.
 Secundi problematis resolutio. Cap. 10.
 Primi problematis resolutio. Cap. 9.
 Triplex problematis resolutio. Cap. 8.
 De signis motum dicitur. Cap. 7.
 De signis motum dicitur. Cap. 6.
 De signis motum dicitur. Cap. 5.
 De signis motum dicitur. Cap. 4.
 De signis motum dicitur. Cap. 3.
 De signis motum dicitur. Cap. 2.
 De signis motum dicitur. Cap. 1.



DE MACULIS PESTIFERIS
TRACTATUS

Describuntur macule pestiferæ, an fuerint cognite antiquis. Cap. I.



D M explicarem phlyctenarum generatio-
nem, dixi vobis, ex eadem materia fieri
etiam in febribus pestiferis maculas. De
quibus maculis existimaui hoc tempore mihi
tractandum esse, tum quia nunc uagantur
hi morbi; tum quia spero et vobis, et alijs me et gratis-
simam, et utilissimam rem esse facturum. Illarum itaq; pol-
liceor me vobis et generationem, et causas omnes, et cura-
tionem, et multa alia cognita præclara esse edoctrum. In-
cipiam autem à descriptione earum, ut hac habita, et exa-
ctè explicata possumus totam ipsarum naturam examinare
et perpendere. Macula itaq; nostro tempore uagantes sunt
ueluti uibices quidam diuersarum formarum, cutem totius
corporis fere inscientes, sine tumore, ulcere, asperitate, sudore,
pruritu, in pestiferis febribus apparentes. Dixi tempore no-
stro uagantes; quia non inuenietis scriptorem ullum ex anti-
quis, qui harum macularum mentionem fecerit. Unus Razes
uidetur quodam pacto hoc genus nobis significasse. Sed claris-
simè significauit Iacobus de Partibus prima quarti capite de
febre pestifera: ut hac in re ualde hallucinatus sit Montanus,
et alij, qui hoc solo tempore nostras maculas uisas esse,

I DE MACVLIS

existimarunt. Sicut enim non sunt antiquae, ita etiam mea
sententia; non sunt ita recentes, cum tempore Iacobi, qui cir-
citer ducentos annos ante nos uixit, apparuerint. Neq; mi-
rari debetis, apud antiquos non inueniri mentionem harum
macularum; quia ut optime disputat Plutarchus 8. Typos. 9.
non inconuenit novos, & inauditos morbos quotidie oriri.
quamquam etiã possumus dicere, antiquos aut non obseruasse
eas, eo quod saepe & appareant, & delitescant, aut forsan
non curasse. Sat est, apud antiquos non reperiri hoc genus
Symptomatis, & propterea iure à me esse dictum nostro tem-
pore uagantes: quia et si Patauij non uagentur, tamen, ut au-
ditum est, & Venetijs, & Verona & Tridenti toto hoc an-
no & populos, & Urbes maximè deuastarunt. Dixi, ueluti
uibices, usus eadē uoce, qua utitur Herodotus apud Actium
lib. 5. capite 129. quo in loco inquit in febribus pestiferis in-
terdum apparere ueluti uibices, seu molopes sua lingua. Sunt
enim uibices, maculae illae, quae relinquuntur post uerbera; ubi
enim aliquis uerberatus est, praesertim scutica, uel aliquo alio
flagello tenai & lato, uidebitis semper apparere quasdam ma-
culas, quae appellantur modo uibices, modo suggillatae, seu
suggillationes. Ex quo potestis etiam clarè intelligere, has
maculas non esse eum colorem, cuius meminit Gal. 3. de pra-
sag ex puls. cap. 4. ubi inter caetera signa februm pestifera-
rum recenset inaequalitatem coloris corporis, sed addit colorem
uel esse ut in erisipelate, uel ut in herpete, maculae autem nostrae
nequaquam colorem hunc habent, sicut nec uibices. Dixi di-
uersarum formarum; nam ut suo loco intelligetis, uariae &
diuersae sunt forma tum in colore, tum in figura harum ma-
cula=

cularum, de quibus sumus loquituri, & quæ hoc tempore uis-
 gantur. Dixi cutim totius fere corporis inficientes, quoniam
 ut plurimum, excepta facie, totum corpus commaculant, præ-
 ferim uero dorsum, & pectus. Sed cur faciem minime attingant
 macule, declarabo uobis, quando pulcherrima quedam
 problemata exponam. Dixi sine tumore, asperitate, atq. etiã
 sudore, ut intelligatis, nostras maculas differre ab illis, quas
 recenset Hippoc. 2. & 5. epidemiorum, quo in loco scribit ma-
 culas apparuisse similes puncturis cuticum, quæ punctura cu-
 licum proculdubio semper sunt cum aliqua cutis elevatione,
 & cum asperitate. Addidi etiam sine sudore ad differen-
 tiam earum, quæ ab Hipp. appellantur hydroa, seu psudra, quæ
 solent apparere cum sudore in febribus, & eleuare cutim,
 sed etiam cito delirescere. Dixi sine ulcere, quia macule ille
 antiquorum, de quibus loquitur Herodotus apud Aetium,
 & Thucidides & Lucretius, omnes desinebant in ulcera, no-
 stra nunquam ullum faciunt ulcus. Addidi etiam sine pruritu,
 ut sciatis differre nostras maculas à papulis illis Simo-
 nis, quarum mentionem facit Hippocr. 6. epid. Com. secundo
 tex. 29. ubi scribit papulas Simonis non fuisse admodum pru-
 rinosas, quasi essent cum pruritu, sed modico, nostræ autem
 nullum unquam faciunt pruritum. Dixi postremo in febribus
 pestiferis apparentes, quia interdum in aliis febribus solent
 quedam macula apparere, quæ nullius momenti sunt, & cito
 etiam sua sponte euanescent: sed macule nunc uagantes cum
 sint comites febrium pestiferarum magna digne sunt conside-
 ratione. Nam Aeschines etiam in quadam Epistola ad Phi-
 lostratem narrat, se uidisse quandam pestem in Delo, in qua

DE MACVLIS

homines maculatas facies & pectora habebant, sed sine febre. unde possumus intelligere illas ualde fuisse dissimiles nostris; tum quia erant sine febre, tum quia uultus, & pectora maximè insciebant. Habetis igitur ex hoc discursu affectionem hanc macularum, de qua nos loquimur, non fuisse ab antiquis traditam, quamquam, ut docebo, minime dissimile admodum habeant nostræ generationem à papulis antiquorum.

Ad quæ symptomata referantur macula pestifera. cap. 2.

Sunt macule nostræ symptomata in genere, tum excrementorum mutatorum, tum qualitarum mutatarum. Sunt in genere excrementorum, si materiã ipsam spectemus. Sed si colorem cutis consideremus, potius reponendæ sunt inter qualitates uisiles maracas. Quia uerò hæc symptomata sunt secundaria, & quæ mediate proficiuntur à morbo, hoc est mediatis uitiatis actionibus, planè constat, uitiatam actionem propter quam fiunt, nullam aliam esse nisi coctricem, atq; etiam secundo loco ipsam expultricem. est uitiata coctio; quoniam gignuntur & in uenis, & in iecore præsertim ea excrementa, quæ non deberent. Vitiatur etiam facultas expultrix, quoniam nisi à prauitate materiæ irritaretur, nunquam hæc expulsionem faceret. Quoniam autem uitiantur actiones, aut uitiata essentialiter facultate, aut uitiata accidentaliter, certum est, facultatem uitiari essentialiter; eo quia cum uniuersum corpus, & præsertim membra naturalia sint insigniter intemperata, ac facultates membrorum essentialiter consistant in

tem=

PESTIFERIS 3

temperatura, proculdubio hac corrupta essentiam quoq. facultatum corruiere necessarium est.

Cause interne macularum pestiferarum. Cap. 3.

Cause uero que hanc affectionem produciunt, alie sunt externa, alie uero sunt interna. Externa sunt que spectant ad res ipsas non naturales, ad aerem, presertim ad uentos, ad cibum et potum, et alia huius generis. Causa autem interna uel spectant ad ipsam materiam, uel ad dispositionem totius corporis. Et ab his postremis ut incipiamus, quantum spectat ad materiam, dixi, materiam macularum eadem esse cum materia papularum antiquorum, hoc est, esse ichores ipsos corruptos, atq. insigniter putrefactos, qui ichores putrefacti, et uenenati ubi a uirtute expulsua irritata transmittuntur ad extimas corporis partes, ibi adherent suo lentore, et illas suo colore inficiunt; nam, ut dicebam, ubi fit magna putredo, ibi etiam fit materia quedam adiposa, et pinguis, ex qua subtilior, et uaporosa, pars mandata ad cutim sua illa pinguedine sistitur in ipsa, et eam consequenter commaculat. Quantum spectat ad dispositionem corporis, que est causa alia interna, tanquam causa aut saltem concausa concurrat in primis ipsius cutis dispositio. Nam scribit Arist. x. particula problematum problemate 4. 5. et 35. homines solos pati uitiliginem, que est cutis commaculatio, et inter homines minime omnium pati mulieres, et pueros: affertq. huius re irationem, quia animalia bruta cum tergora et corium ualde durum habeant, materie subtiles et uaporose nequaquam possunt

DE MACULIS

possunt ipsa tergora, & coria penetrare, ac commaculare, sic etiam corpora puerorum, & mulierum cum sint magis adstricta, quam corpora adultorum, inquit Arist., ipsa minus iure maculari, minus uiciliginis obnoxia esse. Quo Arist. discursu possumus etiam nos dicere, cutim, si sit tenuior & rarior, admittere facile & uapores, & ichores pestiferos, & sabinde ab ipsis colorari: sin autem sit adstricta, atq. densa, nequaquam admittere faciliter, & propterea plurimos esse, qui tamen si febre pestifera laborent, minime tamen huiusmodi maculis tenentur.

De causis externis macularum pestiferarum.

Cap. 4.

CAUSA porro externa harum macularum, quemadmodum dicebam, sunt uel aer, uel uenti, uel potus & praesertim aquarum, uel cibi, seu uarietates ciborum. In primis aer, qui maxime conducit ad generationem macularum duplex est, uel calidus, & humidus, uel maxime calidus. Calidus & humidus; quia ingentes, & uenenatae putredines sub aere calido & humido fiunt, ex quibus postmodum datur occasio generationi harum macularum. Similiter etiam aer calidus, quia ubi aer ualde feruet, magnae fiunt in sanguine ebullitiones, ex magnis efferuescentiis, consequenter fiunt magnae putredines, & post magnas putredines fiunt haec mala. Aer siccus minime omnium conducit ad generationem macularum: quia neq. etiam conducit ad generationem pestis, & propter hoc dictum est, Nigritas populos, qui sub climate sicco habitant, nunquam peste tentari. hac eadem forsan ratio

ne, ut narrat Plinius lib. 2. Crotona & Locris, nunquam laboratum est peste. Frigiditas etiam summa nequaquam generationi pestis conducit, modo frigiditas mera sit, & maxima, propter quod forsitan, ut dicunt, Moscovitae populi maxime septentrionales non solent laborare peste, neque huiusmodi maculis. Est praeter aerem etiam uetus, & exhalatio, quae maxime conducunt ad generationem macularum: quia sicuti uidemus post terrae motum & post terrae hiatus fieri uenenatas exhalationes, quae insciant aerem, & pestem inducunt, ita etiam contingere potest, ut sint huiusmodi exhalationes occasiones macularum. Ventus austrinus potissimum is est, qui ad pestem, & pestiferarum macularum generationem conducit, ut iure Varro liberauerit Corcyram a peste, cum liberasset ab hoc flatu. Sic etiam Empedocles obstructis quibusdam montibus, per quos pestifer uentus penetrabat Agrigentum, eam urbem a peste liberauit. Inter causas macularum externas praecipuum locum habet potus aquae. Hanc enim Hippoc. in libro de aere aquis, & locis, & Arist. prima problematum lectione maximam uim habere in permutandis corporibus nostris prodiderunt. id quod cognoscentes maiores nostri, quemadmodum narrat Vitruuius lib. i. cap. 4. ut explorarent bonitatem locorum, nullum argumentum efficacius habebant, quam quod de sumitur ab aqua. Nam antequam urbes conderent, animalia bruta locorum secabant, & uiscera si integra erant, statim existimabant bonas esse regiones propter aquarum bonitatem, si uiscera erant maculata statim respuebant illas regiones, tanquam aquis pessimis dotatas; ita ut omnium testimonio comprobatum sit, aquas maxime ualere & ad sanitatem conseruandam,

DE MACVLIS

dam, & ad morbos propulsandos. Neq. hoc sine ratione; quia non solum homines uictitant aqua magna ex parte, uerum etiam quicquid capit homo, totum aqua nutritum est, & fructus terrae, & carnes animalium brutorum, & ut semel dicam omnia edulia nostra nutrita sunt aqua. Venetijs hoc anno maxima inopia aquae laboratum est, & maior pars plebis aquis lutosis est usa quod mea sententia inter alia occasio forsan non exigua fuit, ut populus Venetus hoc genere macularum laborauerit. Rhodigij etiam hoc anno maxime laboratum est aegritudinibus, & praesertim splendidis? causam ego existimaui aquarum prauitatem; quia anno praeterito maximae fuerunt inundationes in toto illo tractu, adeo ut & bruta, & herbae, & omnes plantae nutritae sint aquis prauis, & occasionem dederint his morbis. Praeter aquam cibi etiam inter has causas numerandi sunt, Nam Gal. noster libro illo de bonitate, & malitia ciborum in principio narrat, pestem quandam tempore suo esse abortam non ob aliud, nisi quia populus usus fuerat multis fructibus. Sic etiam Hippocrates hoc 2. lib. Epid. lectione 4. narrat homines propter esum leguminum factos esse imbecillos, & praesertim cruribus, & pedibus laborasse. Habetis etiam apud Dionysium Halicarnasenseum libro 4. antiquitatum sub Tarquinio fuisse quandam pestem incognitam, qua pueri, uirgines, & praegnantes iugulabant, quaeque alii scribunt non ob aliud contigisse, nisi quia populo uendita fuerat caro Taurina unde postmodum ludii Taurii instituti. Sed admirandum est id, quod refert mirabilis ille Auerroar, medicus summus, qui scribit, tempore suo fuisse maximam pestem, qua homines statim concidebant; eo quod & herbis, &

carnibus cadauerosis uescerentur. Haec omnia dixi, ut possitis intelligere. ad generationem macularum nunc uagantium magnam partem conferre rationem ipsius uictus. Et ut de Veneta contagione loquamur, relatum est, populum hoc anno multis peponibus, & multis aliis fructibus esse usum, qui quidem generant multos ichores, ex ichoribus uero sunt maculae. Videatis Gal. 3. de Symp. causis Cap. 2. ubi scribit, quando ichores abundant, maximum esse papularum prouentum. Ita uero & papulae antiquorum, & maculae nostrae ex iisdem humoribus gignuntur, ut inter alias causas possimus recensere usum fructuum in generatione macularum nostri temporis. Tot itaq; sunt causae & internae, & externae macularum.

Macularum pestiferarum differentiae, & harum causae, & significaciones. Cap. 5.

EX quibus licet colligere, uarias earum differentias. Hae potissimum sumuntur ex octo fontibus. Capiuntur primo à magnitudine; quando quidem aliae sunt paruae perinde ac pulicum morsurae, aliquae sunt maiores instar aurei, aliae sunt maximae, ut una macula totum dorsum inficiat, quales intelligo fuisse plurimas hoc anno Venetiis. Capiuntur Secundo differentiae à copia, quia interdum maculae quae apparet sunt copiosissimae, interdum sunt paucae, nonnunquam medio quodammodo se habent. Tertiò sumuntur à figura, eo quia aliae sunt rotundae aliae angulares, aliae oblongae, aliae aliarum figurarum. Comparantur Quarto differentiae à colore, cum aliae maculae sint nigrae, aliae liuidae, alige uiolaceae, aliae uirides, aliae subflauae,

DE MACULIS

aliae rubeae Quintò sumuntur differentiae à modo exitus ipsarum, quia modo paulatim exeunt, modo magno impetu erumpunt. Sextò sumuntur à tempore exitus, quoniam nunc exeunt maculae in principio febris, nunc exeunt in progressu, nunc in die critica, nunc apparente concoctione, nunc cruda existente materia. Septimò sumuntur à duratione, propterea quod interdum maculae statim occultantur statim delitefcunt, interdum semper permanent cum febre usq; ad solutionem, nonnunquam uerò medio quodammodo se habent, ut neq; statim delitefcant, neq; etiam diutius durent. Postremò differentiae accipiuntur à comitatu aliorum Symptomatum, quoniam uel apparent maculae cum uomitu, uel sine uomitu, uel cum alui fluxu, uel cum aluo adstricta. De aliis Symptomatibus non loquor: quoniam haec sola consideranda sunt: Alia enim, quae multa sunt, potius pertinent ad febrem ipsam pestiferam, cui iunguntur maculae, quam ad ipsas maculas. Maculae latiores, ut scribit Herodotus apud Aetium L. S. Cap. 129. semper sunt deteriores, quam angustae: quia latiores sunt à materia copiosiore & uiscidiorè. Sicuti enim uidemus humores uiscidos longà continuitate trahi, ut therebentinam, & alia huiusmodi. Qui autem uisciditatis sunt expertes non trahi in longum, sic ex ichoribus uiscidioribus sunt maculae latiores, ex aliis sunt strictiores. Refert Hipp. 3. epid. com. 3. textu 51. in illa constitutione adeo pestifera papulas fuisse magnas. Similiter maculae quanto plures sunt, eo etiam deteriores sunt eadem ratione, quia multo deterius est ichores pestiferos esse copiosos quàm esse paucos. Nigrae maculae, Violaceae, Virides, Liuidae omnes sunt lethales

PESTIFERIS 6

lissime, & ratio huius est; quia huiusmodi colores solum pro-
 pter duas causas in corpore uiuo fiunt. Vna est feruor ni-
 mius; ubi namq; in corpore uiuo feruor maximus est, necessa-
 riò uruntur humores, qui usti ut carbones colorem aut uiridē,
 aut nigrum, aut uiolaceum contrahunt. altera uero est calo-
 ris natui extinctio. Putant aliqui perinde nigrescere humo-
 res in corpore nostro, ac nigrescunt frigore externo membra; &
 forsan hanc sententiam quandoq; sectatus est Gal. noster: sed
 nugæ sunt. Quis enim potest imaginari in corpore uiuo frigus
 usque adeo intensum esse, ut & mortua, & nigra reddat ui-
 scera, quemadmodum uidemus sub externo ingentissimo fri-
 gore fieri? Non hoc itaq; est, sed extracto calore natiuo
 quid fit? spiritus qui suo splendore humores colorant, strangu-
 lantur, strangulati spiritus cum relinquunt humores sine splen-
 dore, & sine lumine, necessariò apparent modo uiolacei, modo
 liuidi, modo nigri. Quæ paulatim erumpunt macule semper
 deteriores sunt, quàm illæ, quæ uno impetu, ratio huius est;
 quia quæ erumpunt uno impetu hoc saltem bonum significant,
 expultricem uim esse firmam, & ualidam, sed quæ paulatim
 exeunt, non solum materie crassitiem, & lentorem indicant,
 uerum etiam facultatem expultricem esse imbecillam & in-
 firmam. Quæ in principio apparent, & in die non critica pesti-
 ma sunt, & deteriores, quàm illæ quæ & in die critica, &
 in progressu morbi apparent, eo quia ubi in principio hæc mate-
 ria erumpit signum est, non modo materiam esse copiosam, ue-
 rum etiam ita primo die uenenum esse magnum, ut à natura
 sustineri non possit. & hac ratione puto uehementer errasse
 nonnullos recentiores, qui scripserunt maculas deteriores esse

DE MACVLIS

quæ tardius erumpunt; eo quod peius sit uenenum diu in corpore latere, quàm statim exire. Quæ occultantur, & delitefcunt macule peiores sunt, quàm illæ, quæ permanent. Nam quod statim delitefcant, iccirco fit, quia materia furit, mobilis est, & cum materia fit in motu, necessariò retrocedens in intimas partes uiscera, & membra nobiliora tentat, cum dimittat cutem. Et hoc est quod dicebat Gal. I. epid. com. 2. tex. 38. scilicet quando papule delitefcunt, materiam uenenatam in profundum relabi. Quæ fiunt cum uentris fluxu, & cum uomitu, ut docet Aetius ex sententia Herodoti, peiores sunt, quàm quæ fiunt cum aluo adstricta, aut moderata; quia signum est materiam esse copiosam, naturamq; ualde stimulari à ueneno, cum non sufficiat expulsio ad cutim: sed etiam necessaria sit expulsio per aluum. sed si macule superuenientes fluxui alui ipsam adstringant, dicit Herodotus bonum esse. puto ego rationem hanc esse; quia signum est, materiam uenenatam imminutam esse, & paucam solummodo superesse, quæ tota per cutim expellatur. Hæc quæ proposui, iudicia macularum putate à me dicta esse comparatiue, quia omnes macule in febribus pestiferis sunt lethales, ut uidere potestis apud Hippocratem primo epid. com. 3. tex. 19. ; miserum illum Silenum obiisse xi. die, qui tamen habuit papulas paruas, & ru-beas.

Proponuntur tria problemata discutienda. C. 6.

TRia circa hanc tractationem occurrunt pulcherrima problemata. Unum est, cur in facie aut nunquam, aut rarissime appareant, & cur potius circa dorsum, & circa pectus.

quòd facit hanc rem maxima consideratione dignam est & ratio, & Arist. auctoritas. Ratio, quia si macule fiunt ex ichoribus, & præsertim ex ichoribus sanguineis corruptis, huiusmodi materia tenuis est, materia tenuis facile sursum attollitur, & facilius quàm deorsum. Accedit, quòd nos uidemus in quacunque corporis perturbatione maximè omnium faciem colorari, ut in timore uultus pallidi fiant, in pudore rubicundi, itaq. si in febre hac maculari est maxima in corpore turbatio, & humores sunt tenues, cur itaq. aut raro, aut nunquam maculatur uultus? Arist. præterea 26. particula problematum problemate 2. & 3. querens rationem, cur maximè secundum faciè sudamus, & cur potissimum uari oriantur in uultu, inquit hanc esse rationem, quoniam uultus rara & humida substantia est; propter humiditatem scilicet, & raritatem substantie fieri, ut facile ea pars recipiat & uapores, & tenues humores. qua allata ab Arist. sententia deberet proculdubio potius uultus infici maculis istis pestiferis, quàm reliquum corpus. Alterum problema est, Utrum macule, quæ apparent in corporibus mortuis sint eiusdem nature cum apparentibus in corporibus uiuorum, & præter hæc cur fiant in cadaueribus macule, quæ antea non erant in corporibus uiuis. Tertium, Utrum macule istæ sint contagiosæ, quomodo sint contagiosæ, & an maculae mortuorum sint contagiosæ. Hæc sunt problemata forsitan aliàs à nemine tractata.

DE MACULIS

Primum problema cur maculae in dorso & pectore ap-
pareant, non in facie. cap. 7.

Cur in facie pestiferae maculae non appareant, multae
(ut ego existimo) concurrunt causae. Quarum una est
materiae pigrities, & visciditas, intellexistis in his febribus
pestiferis summam fieri putredinem, summam putredinem
consequitur lentior quidam, & pinguedo, quae facit ut mate-
ria neq. cito, neq. longe moueri possit. Secunda causa est loci
ubi fomes putredinis est distantia. Scribit enim Gal. 3. de prae-
sag. ex pul., & 6. epid. com. 2. focum putredinis in febribus
pestiferis esse partes intimas, & profundas corporis, sed à par-
tibus intimis, & profundis difficulter materiae expelluntur
ad partes superiores. Tertia causa est multitudo spirituum,
qui semper in facie inueniuntur. Clarissimum enim est uul-
tum omnium partium maximè abundare spiritibus, qui cum
natura sint ueneno inimici facile ipsum ab hac parte longè, la-
teq. repellunt. Quarta causa est cerebri ipsius propinquitas; ce-
rebrum enim duabus rationibus à locis sibi proximis repellit
hanc materiam. Primò propter frigiditatem, cum enim cere-
brum frigidissimum sit, & uapores pestiferi calidi sint & fer-
uidi, eos à sese efficacissimè repellit. altera causa est, quia, ut
dicebat Gal. 3. insitum est à natura omnibus partibus princi-
palibus, ut materias uenenatas à sese repellant, & hoc quam-
quàm habeat omnium maximè cor, reliqua tamen uiscera
non sunt priuata hac facultate. Quinta causa cur in facie non
appareant maculae est, aeris ipsius frigiditas; nam pars faciei

PESTIFERIS

semper directa manet, & exposita aeri externo, quò fit, ut aer externus duas ob causas impediatur, quominus haec materia faciem infestet, unam; quia suo tepore & frigiditate repellit vapores pestiferos. alteram; quia obstipans meatus faciei facit, ut calor natiuus in ipsa conseruetur, qui neq. permittit ut vapores & ichores putridi infestent faciem, & si forte aliqui ad eam partem deuenierint, ipsos statim dissipat. Arist. 9 particula problematum problemate x. & xii. quaerens rationem, cur sit, quòd uibices curantur si ipsis aliquod uas ferreum, aut aeneum apponatur, inquit ideo esse, quia aer suo frigore continet calorem in parte, qui calor deinde aut non sinit uibices fieri, aut eos dissipat. Sic etiam experientia quotidiana comprobatur; uestiarum morsus uestigia non relinquere, si statim ipsis apponatur aliquod ferrum. quibus rationibus, ut dixi, facit etiam aer externus, ut maculae minus infestent ipsam faciem. Porro cur fiant potius in pectore. atque in dorso causa est haec potissima; quia materia pestifera, ut dicebat Gal. primo de diff. febrium ante omnia petit cor, cor autem ualidissime pugnat aduersus materiam hanc uenenatam, & inter pugnandum cum à sese repellat, eam in proxima loca repellit; sunt autem proxima loca cordi & dorsum & pectus; quò fit ut iure in hac parte potissimum fiant maculae. accedit, quòd in regione dorsi, ut uidebitis ex anatome, perrepat uena illa caua maxima, in qua in febribus fiunt maxima ebullitiones, ut ostendunt dolores dorsi, qui apparent in febribus. ex hac uena fiunt euaporationes & effluxiones, quae postmodum dorsum ipsum commaculant. Accedit his omnibus, quòd haec loca semper recta manent, & ob hoc meatus sunt aperti; & per

meatus apertos facile penetrat materia hæc pestifera alioquin
 & lenta, & pigra. Sed uideo statim esse aliquem dubitatu-
 rum contra hanc resolutionem; quandoquidem materia lentor
 & pigrities non uidetur causa esse posse, cur in facie non fiant
 macule; nam certissimum est, materiam, ex qua fiunt uario-
 lae & morbilli, esse admodum crassam & tenacem, attamen
 ferè tota materia uariolarum fertur in faciem, & si compa-
 retis faciem reliquis partibus laborantibus uariolis, semper ui-
 debitis multo plures etiam in facie, quàm alibi: non itaq; ui-
 detur esse hæc ratio, cur macula non infestent faciem: Respon-
 deo huic dubitationi, multas conspirare causas, propter quas
 uariola infestent ipsam faciem. in primis est, quia materia, ex
 qua fiunt, uariola est in toto corporis ambitu; cum enim sit ue-
 luti quædam expurgatio totius corporis, aequè facies & alia
 membra sustinent hanc ebullitionem, & hanc alterationem.
 in maculis autem, ut dicebam, solummodo fomes putredinis
 est circa cor, in partibus scilicet profundis. Præterea in uario-
 lis materia magno impetu mouetur; in maculis nequaquam.
 magnus impetus duo præstat, Unum est, ut materia bulliens
 & tenuis (quæ sua est natura) sursum attollatur; alterum uerò
 est, quòd magno illo impetu fit, ut neq; aer resistere possit, neq;
 spiritus in facie existentes, neq; etiam cerebrum, & propterea
 materia morbillorum in facie ipsa decumbat. Habetis itaq;
 (ni fallor) grauissimas, & clarissimas rationes, propter quas
 hoc genur pestiferum macularum omnium minime faciem
 tentet.

Secundum problema, unde nascantur maculae apparentes in corporibus iam mortuis. Cap. 8.

ERat alterum problema, unde nascantur maculae, quae apparent in corporibus mortuorum. Apparere enim perspectissimum est, & nuperrime mihi contigit casus iuuenis, qui spacio 24. horarum mortuus est (uix enim ipsum uidi) & statim post mortem totus maculatus est. Contingit itaque hoc plerumque, & non solum in pestiferis febribus, uerum etiam in aliis casibus, ut audietis, sed qua ratione hoc contingat, à paucissimis omnino explicatam inuenio. Puto autem ego multas ob causas hoc contingere; primo, quia natura & si continuo aduersus ichores pestiferos pugnet: tamen propter debilitatem non potest expellere; in fine autem toto conatu nititur expellere & dum est in expulsionem propter debilitatem succumbit, materia autem praua, quae iam mota est, ad cutim propellitur. Altera causa est, quia in fine extinguitur calor natiuus, hoc calore extincto materiae uenenatae magis tenues fiunt, factae autem tenuiores à facultate expulsua extra propellantur sed dicetis, Ubi est in cadauere facultas expulsua? proculdubio est, & si imbecillior quam in uiuis, quod ita esse facile uidebitis si notetis ea, quae scribit sumus Philosophus Arist. Tercio de historia animalium (cap. xi. &) Secundo de generatione animalium Cap. Quarto: scribit enim his in locis in mortuis augeri ungues, & pilos. quomodo fit augmentatio pilorum, & unguium? Clarissima est sententia Galeni, & in libris de facultatibus naturalibus, & in libris de tem-

peramentis, non esse pillorum, & unguium ueram auctorem, sed esse quādam expulsiōē uaporum, & fuliginum, qui simul conglutinati, & expulsi, & pilos, & ungues faciunt. Hoc itaq. stante clarissimum iam est, in cadaueribus etiam esse uirtutē expulsiuam. Sed hoc etiam confirmatum est à grauisimo auctore Plotino in libro secundo de dubiis animae Cap. 29. ubi promotus hoc, Arist. exemplo dicebat, quod sicuti recedente sole, & igne remanet adhuc uestigium aliquod caloris, sic etiam abeunte anima à corpore nostro in cadauere remanet adhuc aliqua uis ipsius animae, licet exiguo tempore, merito cuius & pili, & ungues augeri uidentur. Quare haec ratio debet nobis maxime persuadere maculas in defunctis apparere propter facultatem expulsiuam, quae remansit, & ichores attenuatos in cutē propellit. Neq. me latet, quod scribit Alex. in prob. & quod alii dicunt, quodq; etiam ipse alias in tractatu de morbis cutaneis docui, uidelicet non crescere pilos, sed ita uideri quia carnes consumptae & deprimantur, & consequenter pili longiores appareant. Nam & si illud nequaquam improbandum sit, hoc tamen etiam non est absurdum facultatem expultricem tantisper in corpore mortuo durare, etiam quod aliae animae potentiae aboleantur. Tertia potest his adiungi causa in corpore uiuente facultatem retentiuam ualidam esse, & propterea retineri humores prauos, quia coniuncti sunt bonis in corpore defuncti, cum mortua sit facultas retentiuā, ichores illos uenenatos sua fluxibilitate erumpere, & precipitari in cutim. & haec est ratio, propter quam, maculae defunctorum semper sunt latiores quā sunt uiuentium, quia nihil materiae retinetur. Quarta potest etiam afferri ratio, quia

fit maxima agitatio humorum; ubi humores agitantur tempe-
iores ascendunt, & ad cutim propelluntur; in qua agitatione
cum moriatur aeger, humores tamen qui erant in uia depel-
luntur ad cutim, & præter hoc contingit interdum, ut in illo
maximo conflictu uasa aliqua aperiantur, quæ perinde ma-
culent cutim, atq; uerbera ipsa; & hac ratione fit ut in suffo-
catis, in strangulatis appareant hæ maculae; hac etiam ratione
illi qui obeunt ueneno propinato plerumq; solent maculari;
quia scilicet aeger perit in eo conflictu, & tamen materia
iam mota propellitur ad exteriora.

Tertium problema, An maculae pestiferae sint contagiosae,
cur. Cap. 9.

Rat tertium, & ultimum problema, an maculae tam
uiuorum, quam mortuorum sint contagiosae, appello au-
tem contagiosas, ita ut possint communicari. Problema hoc
postularet, ut de contagio prius loqueremur, sed quoniam de il-
lo superioribus lectionibus satis multa disputauimus, non est,
quod hic reperantur. Cum igitur, ut scitis, tres sint modi con-
tagionis uel per spiritus, uel per aerem, uel per humores, ma-
culæ uiuorum possunt esse contagiosae tribus hisce modis;
primò per spiritus; quia cum semper iunctam habeant febrem
pestiferam, & pestis sit circa cor, spiritus qui continuo exeunt
à corde uenenati sunt, & quando hauriuntur ab aliquo proxi-
mo, proculdubio proximum uenenant. Possunt etiam secundo
modo esse contagiosae; eo quòd aer qui contagit corpus macu-
latum, coinquinatur, ubi est coinquinatus proxima quæq; in

quinat corpora, & euertit. Tertio modo possant esse conta-
 giosae maculae uiuentium, quia sanies illa, & humor pestiferus
 habet has conditiones, tenuis est, in cute est, atq; etiam tenaci-
 tatem habet; ratione tenuitatis potest penetrare; quia in cute
 est & lentus, potest ad haerere corporibus illis quae tangit. Nā
 ut dicit Arist. & Alex. in problematibus medicis hu-
 mor ex quo fiunt uirilignes tametsi sit in summa cute, est ta-
 men terrestris, & siccus, propter quod neq; penetrare, neq; ad
 haerere potest. Caeterum maculae defunctorum contagiosae
 solum esse possunt secudum duos modos. Nā per spiritus non
 potest fieri contagium; eo quod omnes spiritus in cadaueribus
 euanaerunt. Fit itaq; solummodo per aerem, & per humores
 per aerem; quoniam a cadaueribus continuè emanant ex hala-
 tiones prauae, & corruptae, quae inquinant aerem; aer deinde
 inquinatus quaecumq; tangit inficit & commaculat, quod au-
 rem cadauera inficiant aerem, satis experientia constat, quan-
 do quidem relatum est, potest occisiones, cum cadauera in sepul-
 ta remansissent, corrupta esse, & aerem uenenasse, sit autem
 contagium altero modo; quia humores fluxi & tenues, qui
 sunt in cute ad haerentes corporibus proximis illa inficiunt.
 Sed dicetis, quomodo fieri possunt euaporationes à cadaueri-
 bus, cum in ipsis omnis calor extinctus sit & corpora mortuo-
 rum frigidissima sint? Et quod sint frigidissima apparet,
 quia illi, qui secant corpora mortuorum sciunt semper sibi
 aciem cultrorum hebetari, non alia ratione, ut dicebat Plu-
 tarchus in libro de comparatione ignis & aquae, nisi quia sum-
 mo frigore cadaueris, acuties ferri aufertur, non igitur, si sunt
 adeo frigida corpora mortuorum uidetur aequum esse, ut fiant

euaporationes. Dico breuiter, quòd quamquam secundum ta-
 etum uideantur corpora mortuorum esse gelidissima, est tamē
 in ipsis calor. Nonne ex cadaueribus fiunt aīalia? Nonne ca-
 dauera putrescunt? sed fit ne ulla generatio sine calore? fit ne
 ulla putredo sine calore? igitur cum cadauera putrescant, ip-
 sis insit calor necesse est, & consequenter necessarium est, ut fiat
 euaporationes, & exhalationes continuac. est etiam illud præ-
 clarissimum exēplum, quod recitat euenisse in ea peste Athe-
 nienſium Thucidides, quando scilicet uultures & animalia
 carniuora non tentabant cadauera propter uenenum sum-
 mum, & propter summam illam putredinem.

Curatio macularum pestiferarum. Cap. 10.

His explicatis ad curationem accedamus. Symptomatum
 alia pura sunt, alia uerò non pura, sed causae & Sympto-
 mata simul pura Symptomata cum sequantur morbum,
 quemadmodum, ut dicebat Gal. umbra sequitur corpus, tol-
 luntur ablato ipſo morbo. Quae uerò Symptomata simul sunt
 & causae, quatenus causae sunt propria quadam opus habēt
 curatione. Iam uerò maculae ubi sunt copulatae febribus pesti-
 feris nunquam sunt pura Symptomata, semper Symptomata
 sunt & causae, causae sunt, quia tametsi materia, sit cuti im-
 pacta, ueruntamen uenenatae exhalationes, quae continuo ema-
 nant, non solum cor, & uiscera omnia coinquinant, uerum
 etiam proximos quosq; saepe aegrotare faciunt; quod dico de
 maculis, idem quoq; putate dictum de phlictenis, & aliis pesti-
 feris ulceribus. Ut igitur hae maculae sunt Symptomata, de

DE MACULIS

se nihil indicant; quia non laedunt; sed ut talia eandem uisus rationem, eadem medicamenta requirunt, quae docui ubi tractans de carbunculo febris pestiferae curationem tractavi. Quatenus uero causae sunt, quia laedunt eo pacto; quo intellexistis, indicant sui ablationem, quia haec est communissima indicatio, ut quodcumque laedit à corpore auferatur. Verum quia ista macula non solum ex sese laedunt, uerum etiam fomitem perpetuum habent in corpore, eapropter in hac curatione surgit & alter scopus, ut fomes macularum auferatur, sed quis est fomes macularum? est ut dicebat Gal. 6. epid. Com. 2. magna, & copiosa putredo, haec, inquam, putredo in profundo corporis latens est ea, quae fouet maculas ipsas, ita ut nisi occurratur huic fomiti, uanus sit medici labor in delendis ipsis. Quatenus haec putredo magna est & larga indicat alterationem, scilicet exiccationem, quia, ut docet Gal. primo illo de diff. Febr. in pestiferis, cardo totius curationis est exiccatio. exiccatur autem pro hoc fomite delendo iis medicamentis, quae non solum exiccant, sed proprietatem habent aduersus uenenum, cuiusmodi est bolus armena, terra siggillata, scordium, succus citri, Zedoaria, theriaca, myrrhis etiam maxime confert; dicebat enim Dioscorides de mirrhide eam maxime ualere ad coercenda pestifera contagia. Usus horum omnium est, ut dicebat Gal. de bolo armena. 9. de simplicibus med. in aqua si febris sit magna, uel in uino, si febris sit mitior. Quatenus uero haec putredo copiosa est, indicat euacuationem, quia quod copiosius est in corpore, quam conueniat naturaliter, indicat nobis euacuationem. Fit autem euacuationis fomitis uel per sectam uenam, uel per cucurbitulas, uel per pharmaca.

Diu dubitatum est inter medicos. ad delendum hunc fomitem
 quid maximè præster, an sanguinis per sectam uenam euacua-
 tio, an cucurbitularum administratio, an purgatio per pharma-
 ca. Qui uoluerunt ex usu esse uenae sectionem adducti sunt
 hac ratione; quòd excretio illa macularum indicet plenitudi-
 nem, plenitudo uerò tollatur uenae sectione. Qui laudarunt
 potius cucurbitulas, usi sunt hac ratione, quod sit ducendum,
 et euacuandum, quò natura uergit, ut dicebat Hipp. na-
 tura, cum uergat ad cutim, igitur per cutem euacuandum esse.
 Qui maluerunt purgandum esse, habuerunt et ipsi suas ratio-
 nes, primò quia in febribus pestiferis prauitas humorum ma-
 ximè abundat, humores prauis purgantibus medicamentis du-
 cuntur. Præterea dicunt isti, in febribus pestiferis maxima
 est habenda ratio uirium, at qui uires magis leduntur à secta
 uena, quàm à medicamento purgante. Tot disfidiorum causa
 nulla alia fuit, nisi morbi ipsius prauitas. Nam in lethali-
 bus et pestiferis morbis contingit plerunq. ut siue hoc, siue illud
 remedium administratis, miseri intereant aegri, et ideo cum
 nullum remedium conferre appareat, sit ut facile quodlibet re-
 medium damnetur. Dicam ego qua methodo, et qua ratione
 incedendum sit in curatione macularum, ut scilicet causa sunt.
 Vbi occurret uobis uocari ad curandas has maculas, primò di-
 ligenter spectare debebitis, in quo morbi tempore ceperint ap-
 parere. Et quia rarissimè contingit, ut appareant in principio,
 sed ferè semper post quartam diem, uidendum erit, an ratione
 febris antea missus sit sanguis necne. si enim erit missus san-
 guis, quemadmodum sæpè contingit, non est quod quicquàm
 aliud curetis de sanguinis missione. si uerò non sit missus san-

DE M A C V L I S

guis, diligenter inspicere debetis, an motus ille sit criticus, an uerò sit symptomaticus. Cognoscetis esse motum criticum, si apparent signa coctionis, si factus sit motus in die critica, si ex ea expulsionem leuamen perceperit aeger. Si itaq. motus fuerit criticus, quod tamen rarò contingit, rursus debetis inspicere, an motus ille sufficiens sit, ita ut leuamen perseueret, & au-geatur, an uerò sit imperfectus motus. si perfectus erit, quiescendum est, dimittenda est hæc operatio tota natura, quæ prudentior est medico; sed si motus criticus non sit perfectus auxiliandum est ipsi naturæ. auxiliatur autem duobus modis medicus naturæ, primò attrahendo ad eas partes, secundò eas partes laxando, & aperiendo, attrahitur materia mota ab ipsa natura cucurbitulis, & iccirco hoc genus auxilii sit opportunè adhibeatur, solet esse efficacissimum. Ad relaxandas autem partes, & aperiendas conferunt frictions factæ cum sale trito, cum nitro; conferunt etiam inunctiones, quæ fiunt ex uino, ex oleo, uel camomelino, uel amygdalarum dulcium, & nitro, cuiusmodi esset.

Recipe nitri drac. i. s.

Olei camomelini unc. ij.

uini

aque camomeli

} an. unc. i. s.

m.

Poteritis autem pro ut maior, uel minor calor apparebit, ita minuere dosim uini, & augere aquam, aut è conuerso. De huiusmodi linimento uerba faciens Aetius lib. 5. cap. 129. ex sententia Herodoti dicebat, huiusmodi unctiōnem abstergere, aperire, relaxare, partes internas refrigerare, atq. uenenum ad

cutem

cutem trahere. Si non sit missus sanguis, & uocemini in progressu ipsius morbi apparentibus maculis, statim debetis uidere an ulla adsit plenitudo, & an uires constent. si adsit plenitudo, & uires permittant, nullum remedium praestantius est sectione uena. Iam enim dixi uobis, totam primam curationem conuertendam esse ad delendum fomitem, dixi etiam fomitem esse copiosam putredinem. Si cum copiosa putredine adsit multitudo sanguinis, nisi per sectam uenam exinaniatur plenitudo, proculdubio statim latissime propagatur putredo. Nec dicatis, ea quae sunt in cute intrò deflecti per sectionem uenae; quia hoc absurdissimum est: dicebat enim Gal 6. epid. Com. secundo tex. 29. nequaquam fieri posse, ut per sanguinis missionem ea quae sunt in cute inde deflectantur, imò uerò secta uena cum natura onere leuetur, robustior sit ad expellendam totam materiam pestiferam, quòd si pauca sit plenitudo, ita ut uires etiam non admodum constent, eo in casu mittendus est sanguis per cucurbitulas, & quanto cucurbitulae erunt plures scilicet uirium tolerantiam eo etiam magis fiet euacuatio prauae materiae, & sanguinis citrà detrimentum uirium, & maxime si in partibus inferioribus, hoc est circa nates, coxas, & crura apponantur cucurbitulae. Sed si locus non sit missioni sanguinis uel propter uires, uel propter aliquam aliam rationem, eo in casu deueniendum est ad medicamenta purgantia; quae tamen non debent esse admodum uehementia, neq; etiam admodum mitrà, sed quodammodo media inter grauia & leniora, quibus medicamentis etiam semper commiscenda sunt ea quae ueneno aduersantur. exemplum sit hoc.

DE MACVLIS

Recipe amarindorum unc. i.

myrobalanorum nigrorum drac. j. s.

seminum citri scrop. ij.

zedoariae scrop. j.

florum cordialium ꝑ. j.

Foliorum senae scrop. iiij.

Fiat decoctio secundum artem deinde

Recipe dictae decoctionis drac. iiij.

mannae electae)

Syr. Rosati sol.) an. onc. ij.

miscere hoc medicamentum medium est inter mitiora & uehementiora, & si consideretis, plurima eorum quae ingrediuntur exiccant, & putredini aduersantur. Haec agenda sunt si motus sit criticus. Sed si motus sit Symptomaticus, uidendum est, an cum eo adsit multitudo sanguinis nec ne. Si adsit, etiam domini si motus sit Symptomaticus, proculdubio, quemadmodum dicebam, nisi plenitudo ipsa minuat, augebitur in infinitum putredo. quod si non adsit plenitudo, sed summa Cachecthymia, etiam quod sit motus Symptomaticus necessarium est purgare, neque timendum est, domini quod purgatione fiat retrocessus materiae, quoniam, ut dixi ex sententia Gal. 6. epid. prauis humores semel depositi in cute nulla purgatione, nulla sectione uenae intro reflectuntur. Neque solum purgandum est medicamentis aluum ducentibus, uerum etiam medicamentis diureticis, & cutim laxantibus: ita enim dicit Gal. 4. cap. 1. libri de diff. feb. se fecisse in ea peste. & tamen si dicat usum se esse hac arte ad praeseruanda corpora, nihilominus, ut in fine illius capituli dicit, praeseruatio & custodia est quodam pa-

Et curatio tantum est uenenum, & tanta est pestis in his casibus, ut qualiscunq. motus sit natura, nisi omni arte e corpore tollatur, ipsum uenenum tollat agrotantes. Hac pro fomite tollendo. Pro ipsis uero maculis quid agendum? materia est lenta, ut intellexistis, quae inheret cuti, & est praua, & etiam toto genere praeter naturam; quare detergenda est, incidenda, euacuanda, & alteranda. Pro his omnibus agendis & frictiones, & inunctiones maxime ualent, illa quas nuperrime indicaui pro tollendo ipso fomite. Unum praecipuum remedium est maculas ipsas, praesertim si sint latae, scarificare, non ut copia sanguinis inde exeat, sed ut aperta cute possit illa sanies pestifera, & illi mali uapores exhalare & diffuari. sed dicetis, ergo erit uniuersum corpus scarificandum? dico, si macula latae sint, etiam totum corpus esse scarificandum, sed leuiter. Videbitis Oribasium lib. 7. cap. 18. & 19. qui ex sententia Antylli scribit multos esse casus, in quibus scarificationes utiles sunt, in inflammationibus, in partibus fluxione tentatis; & loquitur de scarificationibus uniuersalibus; quia tradens modum scarificandi inquit, rubefaciendum esse corpus, & scarificationes inchoandas esse à partibus inferioribus semper tendendo uersus partes superiores; Nam sicuti uidemus plerosq. interdum totum corpus corniculis appositis scarificare, sic etiam non inconuenit absq. corniculis, & cucurbitulis partes ipsas maculatas leuibus scarificationibus pertundere. Si phlyctena sint, dicit Actius illinienda esse ipsa membra morbo tentata medicamentis detergentibus, & exiccantibus, atque etiam modicè refrigerantibus, ut est cerussa, rosa, thus, lithargyrium. & si ulcera ipsa serpent, laudat etiam deuenien-

DE MACVLIS

dum esse usque ad calcem uiuam, modo febris non sit admodum ardens; nam cum, ut dixi, ab his partibus continuo spiret, uenenum in uiscera, omni studio et omni diligentia enitendum est, ut totum illud uenenum absumatur. Hac de maculis pe-

stiferis habui qua dicerem hoc tempore.



DE VENENO
HIERONYMI MERCVRIALIS
LECTIONES

De veneno Canis rabidi, seu
De Hydrophobia.

Caput primum, in quo nomen, & definitio
affectus explicatur.



Accedit alter affectus non tractatus, uel non frequenter, in quo quaeso, ut diligentia, & patientia uestra utamini, quia pulcherrima, & inaudita fortè habebitis, uocatur à Graecis Hydrophobia, & qui sic affecti sunt Lyttodicti, latini appellant, modò aque timorem, modò morsum canis rabidi. C. Aurel. 3. de acutis cap. x. diffinit hunc affectum, tamquam sit appetentia uehemens, atque timor potus sine ulla ratione, ob quandam corporis passionem, in libro uero, qui de diffinitionibus medicis inscribitur, & Gal, attribuitur, ita diffinitam hanc passionem inuenietis, hydrophobia, seu aquae formido est affectus ex canis morsu rabie furentis, cum potus auersione, conuulsione, singultu, atque superueniente delirio. Ego autem breuius huiusmodi affectum sic diffinire soleo, quòd sit affectus praeternaturalis cum delirio, & aquae timore irrationali, & uehemente; appello affectum praeternaturalem, quoniam in hac egritudine non solum corpus praeternaturam disponitur, uerum etiam accidens Sed, ut rectè mo=

DE VENENO

net. C. Aurel. quamquam animi lesio sit insignis: tota tamen oritur ex corporis ipsius mala affectione. Dicitur etiam à mecum delirio, quia licet aliquis timeat aquam, ut saepe contingere solet, nisi tamē deliret, eiusmodi affectus non est hydrophobia: Dixi cum aquæ timore, quia tamen si in hoc affectu agri timeant omne genus liquoris, ut docet Damocrates apud Gal. 2. de Antidotis, tamen potissimum timor istorum uersatur circa aquam; addidi irrationalem, quia inuenietis multos, qui timent aquam in egritudinibus, uel quia suspicantur eam sibi noxiam futuram, uel quia timent, ne aqua sit uenenata, uel aliqua alia ratione, in hoc autem affectu nulla ratione timent aquam, immò uero dignum est admiratione; eos uehementer appetere aquam, & tamen formidare, & maxime fugere. Addidi postremò uehementis eò quia sub hac egritudine homines adeo expauescunt, & fugiunt aquam, ut potius eligant mori, quam eam potare, & ut dixit Celsus lib. 5. uidetur hæc esse potissima ratio curationis, ut isti immergantur aquis, ut uoluit noluit petent ipsam.

Ad quod genus symptomatis referatur affectus. ca. 2.

EX diffinitione huiusmodi explicata intelligere potestis hunc affectum esse symptoma in genere actionis principis lesæ; & quia timor aquæ est præcipuus character hydrophobæ, atque timor, ut docui uos ex medicis; atque ex Aristotele fit in imaginatione, necessarium est fateamur, quòd, cum timor sit irrationalis, & deprauatus oriatur ex imaginatione uitiata, & deprauata; sed dicetis, an etiam in hoc affectu læ=

duntur alia actiones facultatum animæ? s. ratio, an memoria? Dico proculdubio etiam alias facultates lædi, quia unâ cum hoc timore aqua male discurrunt, male ratiocinantur. Atque etiam magnopere obliuiscuntur, sed maximè omnium apparet imaginatio affecta; morbus autem, à quo dependet huiusmodi symptoma est morbus eius partis, à qua fit imaginatio; sic autem imaginatio ex optima temperatura anterioris partis cerebri; quare intemperies huius partis est morbus, qui lædit hanc actionem. Cum autem plures sint intemperies in hac aegritudine, est intemperies calida, & sicca cum mandata deusta, sicut uidere potestis apud Auic. 6. 4. tract. 4. cap. 5. & 7. Necnon apud Aetium ex sententia Ruffi 6. lib.

Propositur pulcherrima dubitatio, & soluitur, necnon locus affectus explicatur. Cap. 3.

Sed uideo uos statim hæsitare, cur sit, quòd cum intemperies calida, & sicca cum hac materia insaniam faciat, & alios morbos, tamen faciat quoque hanc miram aegritudinem; dico, cum accidentia, quæ apparent, ut uidebitis suo loco, sint mira, & monstruosa, proculdubio non posse proficisci à manifesta intemperie, sed ab occulta quadam, & immanifesta proprietate, id, quod potestis intelligere animaduersum fuisse à doctissimo Farm. lib. 2. de abditis rerum causis, & à Fracastorio lib. 2. de morbis contag., immò uerò uidetur etiam hæc fuisse sententia Galeni, qui lib. 6. de locis affect. cap. 5. prope admirans naturam huius affectus inquit solos canes inter animalia rabia tentari, quasi innuat id fieri ob quandam pecu-

liarem dispositionem, qua in eo animali tale uenenum, & non in alio faciat. Sed debetis hoc in loco animaduvertere, quod quamquam dixerim hoc symptoma dependere ab intemperie ipsius cerebri; non tamen existimandum est, à sola intemperie; quia, ut testatum habetis apud C. Aurel. & apud Con- ciliat. diff. 179. Hac intemperies inducitur in cerebrum, & fouetur ab intemperie totius corporis, & praesertim uentriculi, quoniam ex ea parte, quam momordic canis, uirus propaga- tur in uniuersum corporis ambitum, ubi intemperiem inducit propriam, & uenenatam, modò tardè, modò citò, ut audietis; ab hac deinde corporis intemperie cerebrum uenenatur. qua- propter iuremeritò dubitatum fuit apud C. Aurel. inter uete- res, quisnam locus propriè sit affectus in hydrophobia. Nã De- mocritus censuit locum affectum esse neruos, adductus hac ra- tione, quia in aqua timore nerui distenduntur, fiunt conuulsio- nes, & alia apparent neruorum mala. Asclepiadis sectato- res putarunt locum affectum esse membranam cerebrum ue- stientem; eo quia ut memini me aliàs uos docuisse, isti puta- runt anima rationalis sedem positam esse in hac membrana; non desuerunt qui existimarunt locum affectum esse diaphra- gma. Artemidorus, Erasistrati sectator, & Artorius A- sclepiadis sectator uoluerunt potius stomachum esse locum affe- ctum, adducti hac ratione, quòd in hoc morbo uomitus, singul- tus, & sitis apparent, quae omnia, cum sint stomachi sympto- mata (dicebant isti) nullum alium locum propriè affectum es- se, nisi stomachum. Gaius Herophili sectator fuit huius senten- tia, quòd cerebrum, & eius membranae sint propriè sedes af- fecta. Magnus uerò Ephesius censuit locum affectum esse non unum

unum, sed plures, scilicet cor, stomachum, diaphragma, caput, ilia. Ego uero, ut hanc rem constitui am, et firmam possideatis, dico pro loco affecto posse nos duo intelligere, uel locum, qui primo afficitur, uel locum, ubi residet morbus laedens operationes. Si primo modo intelligamus locum affectum, dico, quod nullus alius est, nisi pars illa, quae primo commossa sit, postquam partem est iecur, deinde stomachus, tum cerebrum, postremo cor. Nam, ut optime notat Conciliat: loco cit. quamprimum huiusmodi perniciēs cor ipsum attingit, statim homo moritur. Sin autem intelligamus pro loco affecto non illum, qui primo passus sit, sed ubi uiget morbus, a quo dependet symptoma, dico locum proprie affectum esse solum cerebrum. et ratio est, quia proprius character huius morbi, ut inuelligistis, est irrationalis timor aquae, irrationalis timor fit immediate à praua cerebri intemperie: quapropter necessarium est fateamur locum proprie affectum non alium esse, quam cerebrum, et praesertim anteriorem cerebri partem, ut à dogmate nostro non recedamus.

Causae affectus proponuntur. Cap. 4.

CAUSA igitur immediata huius symptomatis est intemperies calida, et sicca, necnon etiam humor calidus et ficans deustus cum praua, et occulta qualitate, atque (ut dixi) haec est causa immediata. Mediatā uero uel est interna, uel externa: interna causa mediata huius affectus primo est habitus cacochymus, et prauus, ut docet Ruf. Ephes. apud Aezium: praesertim uero est habitus melancholicus. Etenim caco

chymi, & melancholici citius capiuntur rabie, quoniam re-
 docet præclarissimus vir Fracastorius prava scientia huius-
 labis habent analogiam, & proportionem ad hos humores pra-
 uos, & præsertim melancholicos; & hinc est, quod canes po-
 tissimum rabie capiuntur, quia canis est animal cacochy-
 mum, & ualde melancholicum. Præterea inter causas media-
 tas internas recensetur etas; quia iuuenes, qui calidi sunt, &
 sicci maxime obnoxii sunt huic morbo. Unde quando Sora-
 nus scribit se uidisse infantem, qui ubera expauescebat, morbus
 hic nequaquam Hydrophobia erat, quia Hydrophobia po-
 tissimum fit à morfu canis uel mediate, uel immediate. Inter
 causas externas, tempus anni est primò recensendum, nam
 sub canicula maxime efferantur canes rabie, maxime etiam
 homines eo tempore temantur. Unde non possum, satis mira-
 ri, Alzarauium, Ruffum, & alios, qui existimarunt æque sum-
 mum frigus, atque æstus magnos rabiem inducere. Quoniam
 Alex. in primo probl. 74. querens causam, cur rabies tempo-
 re æstiuo, & sub canicula maxime fiat, duas causas adfert,
 unam ex aliarum sententia, qui dicebant sydius illud canicu-
 lam quadam proprietate huiusmodi morbum inducere. aliam
 causam uerò, quia calor, & siccitas temporis illius coniuncta
 caliditati, & siccitati corporum canum, usque adeò corrup-
 pit, & accendit intemperiem, ut perducatur ad gradum quen-
 dam uenenatum, ita quòd uideretur manifesta ratio, qua fit ra-
 bie in canibus tota esse ex caliditate, & siccitate aeris aug-
 te caliditatem, & siccitatem corporum, propter quod non ui-
 detur rationi consentaneum, quòd ob frigora quamquam in-
 tensa, & uehementia possit huiusmodi malum induci. Sed

dicetis: cur igitur Dioscor. & maior pars scriptorum etiam ponunt frigora inter has causas? respondendum est id, quod scriptum inuenitur apud Paulum lib. 5. cap. 3. nimirum plerumque huiusmodi morbum fieri à uehementibus æstibus, interdum tamen, sed raro, ut etiam Lycus docet, fieri à uehementibus frigoribus. Regio calida, & sicca est similiter inter has causas adnumeranda, de qua loquens C. Aurel. 3. de acutis 15. scribit, Cariam, & Cretam insulas carere omni genere animalium uenenatorum, solummodo autem fieri in illis regionibus canes rabidos, propter, scæli nimiam caliditatem, & siccitatem. Scribonius quoque Largus in libro suo medicinae scribit in Sicilia multos fieri canes rabidos, propter regionis illius caliditatem, ut non sit dubitandum caliditatem regionis maximè facere ad generationem huius morbi, contagium ex causis hydrophobiae externis est, quia, ut docet Gal. 6. de loc. aff. v. & Auic. saepè homo commorsus à cane rabido, si alterum mordet rabie inficit; & scribit Auic. dignum admiratione esse, alia etiam animalia commorsa à cane rabido communicare huiusmodi pestem; immò uero, sola respiratio canis rabiem, ut ait Caelius, inducit; panni, & indumenta à cane rabido commorsa si tractentur ab hominibus solent rabiem inferre, ut testatum habetis à Caelio Aureliano de Sartrice, quae cum pannos à cane rabido commorsos lingua contrectasset post tertiam diem rabie correpta est, refert Fracast. doctissimus, quòd etiam ab aliis est relatam, si quis dormiat sub sorbo incurrere rabiem; ut iure dictum sit à me etiam contagium causam esse huiusmodi morbi: sed quamquam, dixerim; hasce causas esse, ueruntamen potissima causa huius mali, & ferè

sola est morsus canis rabidi, ex quo morsu cum spuma uenena canis corpori infigatur, illud uenenum paulatim, longè, lateq; serpit, & propterea malum facit, quòd, si causae memoratae adiuant, id faciunt duobus modis, uno quia disponunt corpora hominum ad suscipiendam hanc luem, alio quia in causa sunt, ut in canibus rabies gignatur, in quibus non solum praedicta omnia hoc malum faciunt, sed & multa alia: dicebat Auic. quòd cibi corrupti, aquae corruptae, cadauera comorsa à canibus inducunt in ipsis rabiem: Plinius etiam scribit sanguinem menstruum potatum à canibus inducere rabiem, sunt itaque tot causae externae hydrophobia.

Proponuntur duo pulcherrima dubia, & sol-
uuntur. Cap. 5.

Circa has causas duo sunt, nobis decernenda, unum est an possit homo hunc morbum incurrere absque morsu canis à principiis internis, Aliud uerò an à solo cane rabido, an etiam ab aliis animalibus possit induci hydrophobia. Circa primum uidetur esse controuersia, quoniam Arist. 8. de histo: animal. 22 scribit omnia animalia commorsa à cane rabido in rabiem conuerti, & interire, excepto homine, ex quo loco colligere potestis duo; unum, quòd secundum Arist. à cane rabido inducitur hic morbus, alterum, cum inducatur necessario à principiis aliis, etiam à principiis internis induci. Praeterea Gal. 6. de locis affectis 5. scribit omne genus uenenorum in corpore nostro ex principiis internis gigni. quare uidetur rationi consentaneum, quòd etiam hoc genus ueneni possit gene-

CANIS RABIDI 19

rari in corpore nostro ex principiis internis. Accedit, quod cum uideamus humorem melancholicum usque adeo in corpore nostro corrumpi, ut uertatur in lepras, caneros, & alia mala; consequens etiam uidetur, quod possint humores melancholici ex causa interna conuerti in hanc pestem. Postremo est auctoritas. C. Aurel. lib. 3. cap. 4. ubi scribit manifeste fieri interdum rabiem in homine sine manifesta causa; quando. s. inquit Cælius, fit ea adstrictio in corpore, quæ gignat uenenum. Ex quibus omnibus uidetur probari posse fieri rabiem in nobis. Sed ex altera parte est & experientia, & auctoritas omnium scriptorum. Experientia, quia non commemoratur ullus, qui non commorsus à cane rabido rabie sit affectus. Est etiam auctoritas scriptorum, qui semper à cane mordente fieri hoc malum tradunt, ab alia causa nunquam. Pro huius rei resolutione dicendum est ueram rabiem nunquam fieri posse ab alia causa, quam à morsu canis rabidi, posse quidem fieri morbos similes rabiei, sed ueram rabiem nunquam: ratio, cur non possit fieri est, quia, ut docet Gal. 6. illo de locis affect. 5. hic morbus nascitur solum in cane ex quadam dispositione illius corporis. Si igitur solum nascitur in cane ex quadam dispositione illius corporis canini, profecto complexio humana ualde diuersa est, ut non sit disposita ex se ad suscipiendum huiusmodi morbum. Nā clarum est, quod in omnibus corporibus non possint fieri omnia genera uenenorum. In basilisco fit unum genus ueneni, in scorpione aliud, sic etiam in aconito fit unum genus ueneni, quod non fit in alio; in homine solo fit lepras; idem dicendum est de rabie quæ solum fit in cane, & ab illo communicatur aliis, in corpore nostro fieri non potest; quod si traden-

da est ratio manifesta, cur non possit fieri in homine, est, quod
 homo animal calidum, & humidum est, hæc affectio nasci-
 tur propter immensam caliditatem, & siccitatem, quæ cum
 non possit in homine reperiri, neque etiam in ipso potest fieri
 hæc affectio. Quid dicemus igitur ad Arist: & ad rationes?
 Dicam ad Arist: id, quod etiam scriptum à me est in primo
 libro uariarum lectionum cap. 2. & est inuentum meum in re,
 quæ defatigauit multos eruditos uiros: etenim, ut uidere pote-
 stis loco citato uarii uario modo interpretari conati sunt Ari-
 stotelis sententiam: sed omnes longè abierunt à ueritate, quæ
 ueritas hæc est, quòd Arist. non cognouit hanc ægritudinem;
 non cognouit autem, quoniam tempore ipsius nondum cognitus
 erat morbus, legatis Plut. 5 symp. 9 qui scribit hydrophobiã,
 & elephantiosim innotuisse tempore Asclepiadis medici,
 qui uixit tempore Pompei magni, adeoq; ante tempora Ascle-
 piadis fuerunt Flippo, Diocles, Aristoteles, Homerus, qui om-
 nes ignorarunt hoc genus morbi, cum igitur ignorauit, non est
 mirum, quòd Arist. dixerit, omnia animalia commorsa à ca-
 ne rabido rabie capi, excepto homine. Dicitis cur uerò hic
 morbus non innotuit illis temporibus? nam canes etiamnum
 rabiebant, Dico non innotuisse, quia hic morbus non manife-
 statur statim post morsum, sed post duos, aut tres menses refert
 Gal 1. Prior. com. 2. tex. 17. se uidisse quendam, qui factus est
 hydrophobus post annum; immò uero Auic. refert, quòd post
 septem annos, & Albertus magnus lib. 7. de animalibus se-
 cundo narrat se uidisse quendam, qui post. 12 à morsu annum
 in hydrophobiam incidit, & mortuus est: cum igitur hoc fiat
 plerunque, ueteres illi non animaduertunt, quia cum uide-

bant curatas esse morsuras, non existimabant in posterum
 ullum aliud malum euenire posse. Sed ut dixi, latius hoc ex=
 plicui loco citato. Ad alias rationes breuiter respondeo, quod
 tamen si fiant alia uenena in corpore nostro, non sequitur pro=
 pter hoc, posse fieri istud, quia cum habeat quandam propieta=
 tem annexam, hæc proprietates non potest fieri sponte in corpo=
 re nostro, sed inducitur à cane rabiente. Circa secundum pro=
 blema inuenio nonnihil controuersie. Gal. enim 6. de loc. affec.
 §. scribit solum canem inter omnia animalia rabie tētari. Ex
 aduerso sunt authoritates grauisimorum uirorum, Arist. nā=
 que lib. 5. de historia animalium cap. 22. & 24. scribit Came=
 lum, & equum rabie tētari. Albertus magnus 7. de animal.
 2. addit lupos. C. Aurel. adnectit ursos, leopardos, & asinos.
 Auicennas. 6. quarti tractat. 4. cap. 6. tradit etiam uulpes,
 mustellas, & asinos rabie tentari, immò uerò neque pisces à
 rabie uidentur immunes, quando Columella scribit, Mure=
 nas rabie efferari. Theodorus Priscianus non contemnendus
 medicine author lib. 2. sue medicine. 8. memoria mandauit
 rabiem fieri in homine ab aliquibus serpentibus: ita. quod
 magis ex his omnibus scriptoribus constat rabie fieri in aliis
 animalibus, quàm in cane, contra quod dixit Gal. Pro cuius
 rei resolutione dicendum est id, quod nuperrimè etiam monui,
 scilicet duplicem esse rabiem, aliam ueram; aliam per simili=
 tudinem: rabies uera fit solum in cane, & de hac loquutus est
 Gal. rabies per similitudinem fit etiam in aliis animalibus;
 & de hac loquuti sunt Aristoteles, Albertus, & alii: &
 quod hoc sit uerum, uideatis signa, quæ primò traduntur ab
 Aristotele equi rabientis. deinde à Vegetio 2. lib. medic: ma

lorum uidebitis ea signa tradita maxime diuersa esse à signis indicantibus rabiem canum; adeo quòd dicitur eam rabie non esse ueram, neque legitimam. Illud tamen non est ignorandum, quòd rabies, quæ fit in humoribus uel fit à cane rabido immediate, uel mediate. quomodo mediate? hoc pacto, quia potest equus conmorsum à cane rabido rabire, atque ita hominem inficere, idem possunt uulpes, & alia animalia, propter quod non immeritò scriptum est à C. Aurel. 3. de acutis. cap. 9. aliquos incurrisse hunc affectum, ex solo inspiratu canis rabidi, alios solum à dilaceratione ab unguibus canis rabidi facta, alios ex morso parui Catuli, alios ex morso galli gallinacei, addit etiã historiam scitu dignam. s. Sartricem quandam cum clamydè conmorsum à cane rabido sarcire uellet, & lingua, ac ore, ut fit componeret, ex sola illa tractatione clamydidis incurrisse hunc morbum.

De signis morbi, & primo de distinctiuis. Cap. 6.

Signa, quæ indicant hanc affectionem, alia sunt signa distinctiua, alia indicantia, signa distinctiua ea sunt, quæ distinguunt hydrophobiam ab insania, & phrenitide. Nam dignoscitur hydrophobia à phrenitide, quia phrenitici febre laborant, capite magis afficiuntur, fugiunt aerem lucidum, & ut dicebant Andreae medici sectatores sunt pantophobi, id est omnia timent, hydrophobi non laborant febre, aut exigua, non apparet multa læsio in capite, timent solum aquam, aut liquores. Signa, quæ distinguunt à mania sunt, quòd mania est passio quedam chronica, nec fit a morso, hydrophobia autem est

est passio acuta, & fit à morsu, sed dicet aliquis uestrum, quo
 modò dicis esse passionem acutam, nam (ut dicebas) hic mor=
 bus durat saepe non solum ad menses, uerum etiam ad annos.
 quare uidetur potius esse maxime diuturnus. Dico, id, quod
 responderet Gal: Aur. aduersus Asclepiadis sectatores, & ui=
 detur etiam fuisse sententia Galeni 6. de locis affect. 5. & 3.
 in 3 epid. tex. 75. & primo pror. 2. tex. 17. scilicet hunc mor=
 bum non esse metiendum à tempore morsus canis, eò quia sa=
 pe hoc uenenum latet in corpore insensibiliter, sed solum meti=
 ri, & astimare debemus morbum ab eo tempore, quo incipit
 manifestari timor aquae, à quo tempore rarum est, quod egri
 effugiant quartam diem.

De signis indicantibus praesentem morbum. c. 7.

HActenus de signis, quae hydrophobiam à reliquis mor=
 bis distinguunt, nunc superest, ut signa uideamus, quae
 indicant praesentem hanc affectionem. Sunt autem haec duo=
 rum generum; alia, quae indicant affectum iam incipientem;
 alia uerò, quae indicant iam consummatum. Indicant morbum
 incipientem anxietas sine ulla ratione, iracundia, corporis dif=
 ficultas, rubor, uultus, somnus turbulentus, uigiliae, stomachi
 grauitas, nausea, accusatio aeris insueta, tedium, abominatio
 imbris, parua bibendi cupiditas, praeter consuetudinem. Ubi
 confirmata est affectio, egri timent aquam; nec solum timent,
 sed abhorrent nomen, & sonitum aquae immò uerò Damocra=
 tes apud Galenum 2. de antidotis cap. 15. dicebat eos, qui la=
 borant hac aegritudine, si uideant uel aquae tantillum, statim

tremere, & conuelli, neque solum timent aquam, & eius no-
 men, sed etiam timent omnia liquida, ut sunt fomentationes,
 prisana, & quicquid liquida substantia est. Refert Eudemus
 Themisonis sectator, se uidisse aliquos hac passione tentatos,
 qui etiam proprias lachrymas abhorrebant: adhuc ubi mor-
 bus hic confirmatus est, pulsus parui sunt, inordinati, stupent ar-
 ticuli omnes, aluus adstringitur, urina guttatim stillat, disten-
 duntur neruis uox obruditur, & quasi canes latrant, spirant
 difficulter, iactant corpus inordinate, rubor, uultus maximus
 est, uomitus biliosus, tensio pudendorum: cuius ea est ratio,
 quam Celsus 73. problem. nobis proposuit, s. propter affectiones
 uentriculi. Præter signa hæc Alzaraius scriptor inter A-
 rabes grauisimus tract. 30. pract. sua, cap. 30. mirum quoddam
 signum nobis proponit: quod etiam accepit Auic. & omnis
 Arabum secta, s. quod qui hac affectione tentantur urinam
 mingunt nigram, & in qua apparent ueluti uiuæ canum ima-
 gines, immò refert Alzar. se curasse quendam hydrophobum,
 qui referebat se uidisse in urina propria formas Catulorum.

De signis prognosticis.

Cap. 8.

Signa prognostica non admodum multa sunt, quæ adferun-
 tur huius morbi. Auic. tamen scribit, morbum hunc ante
 formidinem aquæ posse curari: ubi uerò ægri incepere timere
 aquam, ut dicebat Celsus lib. 5. cap. 27. spes est in angusto, pro-
 pter quod medici illi priores cum nondum cognouissent cura-
 tionem huius affectus existimarunt prorsus incurabilem esse,
 & quamquam formido aquæ penè incurabilis existat, ani-

maduerto tamen apud scriptores esse aliquam diuersitatem :
 Nam Auic. duo nobis proponit signa, quibus possumus intelli-
 gere, an morbus sit curabilis, necne: unum est, quòd quandocum-
 que agri cognoscunt propriam imaginem in speculo, curabilis
 est affectio, similiter quando ex morsura canis dicit Auicen-
 pus exit copiosum, & exhibita theriaca sanguis emanat, spe-
 cies est curationis: Alii uidentur de hac re secus statuisse. Ori-
 bas. enim. 7. lib. synopsis, quem sequutus est Paulus, & ante
 ipsos Diosc. dicit, quòd si hydrophobia oriatur ex morsu ca-
 nis immediate omninò incurabilis est morbus: si uerò fiat ma-
 lum ex contagio, non ex morsu immediate, inquit, spern ali-
 quam esse curationis: immò uero refert Diosc. Themisonem
 medicum ab hac aegritudine euasisse: quia ceperat eam per con-
 tagium, quasi quòd illi euadant, qui per contagium laborant,
 moriantur uerò, qui ex morsu immediate aegritudinem contra-
 xerunt. Mortis autem horum species, ut notat Gariopontus
 medicus in lib. suo medic: est ea, qua moriuntur Dæmoniacy,
 & epilepticy. Atque tot de signis hydrophobie.

Tria pulcherrima problemata proponuntur. c. 9.

Antequàm autem aggrediamur huius curationem tria
 utilissima, & pulcherrima problemata uobis explicare
 operaprecium est.

Unum est, an fieri possit, ut hoc malum, & alia lateant tam
 diù in corpore absque, ullo alio indicio, etenim habetis testa-
 tum ab Auic. & Gal. interdum latere hunc morbum in cor-
 pore per menses, & annos. Albertus magnus 7. de anima=

lib. 2. refert se uidisse quendam, qui duodecimo anno post acceptam morsum tentatus est hydrophobia, quod si uerum est, posse malum tandiu latere, querendum est deinde quomodo hoc fieri possit.

Secundum problema est, quæ sit uera causa, quod qui laborant rabie formident adeo aquam, res enim uidetur admiratione digna laborantes hoc morbo usque adeo odisse omne genus liquorum, et præsertim aquam.

Tertium, et postremum problema erit, an uerum sit, quod in urinis laborantium hac ægritudine possint Catulorum imagines apparere, et si uerum sit, qua ratione hoc contingat.

Primi problematis resolutio. Cap. 10.

Circa primum statuo fieri posse, ut malum hoc lateat, ut scriptum est per annos, et hoc statuo ratione similitudinis: quonia clarum est alia mala posse in corpore humano diu latere, nec solum mala, immo et uenena; hoc uerum esse testatur Hipp: lib. de internis affectionibus, ubi scribit inueniri morbos, qui in corporibus occulti manent usque ad 14. annum, Theophrastus lib. 9. de hist. plant. 16. scribit Aconitum uenum consueuisse ita tempore suo pateri, ut datum hominibus certis quibusdam, et longis temporum interuallis occidet. trimestri tempore, bimestri, atq; etiam annuo, ubi simul refert ab hoc ueneno grauius tractari, in quibus diutius uenenum si moratum, quod etiam testatum habetis apud Gal. 2. in primum Pror. tex. 17. Alzarauius etiam, cuius autoritas non est contemnenda memoriæ mandauit elephantiasim post con-

ragium latere interdum in corpore p̄ quadraginta annos. Sed
 quid à scriptoribus exempla petimus? lues gallica tempore no-
 stro satis clara dat nobis argumenta posse morbos in nobis diu
 latere, absq̄e quo ullum prodant de se effectum, ut his omni-
 bus constitutum esse debeat apud uos hydrophobiam, seu mor-
 sum canis rabidi posse latere ad menses, & annos. Quomodo
 fiat, ut lethale uenenum in nobis maneat sine ulla actione, cer-
 te admiratione dignum est: tamen una, atque ea grauisima
 ratio est, qua hoc fit significata nobis à Gal. 6. de loc. aff. 5.
 3. in tertium epid. tex. 75. secundo in primum pror. tex. 17. ni-
 mirum, uenenum, quod corpori humano immiscetur agere
 paulatim, & insensibiliter usque quo uniuersum corporis tem-
 peramentum aequaliter permutetur, & quandiu actio insensi-
 bilis est, neque lædi corpus, neque apparere malum, ubi uero iã
 temperamentum totum sit mutatum, tum etiam morbum, &
 lesionem apparere: sed quia contingit: ut in aliquibus insensibi-
 lis actio diu duret, & mutatio temperamenti longius protra-
 hatur, hinc efficitur, ut aliquando malum diu habeat, aliquan-
 do diutius, interdum citò appareat: prout. s. mutatio totius uel
 tardius, uel celerius efficitur. Cur autem in aliquibus protraha-
 tur temperamenti mutatio, & cur interdum insensibilis ope-
 ratio ueneni diu duret, duæ potissimum causæ esse possunt, ut
 ex Gal. locis citatis colligitur: una est, quia membra actioni ue-
 neni resistunt, neque permittunt seipsa offendi, neque uenenum
 ad præcipua penetrare uiscera: non permittunt autem membra
 sese offendi, uel quia robusta sunt, uel quia propter assuetudinẽ,
 & familiaritatem, quam contraxerunt cum ueneno nihil fe-
 re afficiuntur, quousque tandem nouo, & quotidiano corporis

alimento uis ueneni ita nutritur, ita augetur, ut inde facultas expultrix membrorum ignobilium excitata uenenum ad se depellat ad membra, & uiscera nobilia; quæ membra nobilia tamē offenduntur propter qualitatem ueneni, propter copiam, atque etiam propter inasuetudinem; adeò quod hæc una est ratio, propter quam uenenum in aliquibus diutius lateat, in aliquibus non adeò diù. Altera ratio est, quia concoctrix, et retentrix membrorum facultas sunt robustiores facultate expultrice, ita in membro ignobili seruat uenenum; atque ita conseruatur, ut non offendat, propterea quòd quantum uirium additur ueneno ex quotidiano alimento, tantumdem consumitur à facultate concoctrice, usque quo plus augetur, quàm imminuatur, quo tempore efficitur, ut facultas ueneni acuta excitans facultatem expultricem etiam impellat ad sese deponendum. ita quòd ex his duabus rationibus uidere potestis quomodò uenenum possit diù in corporibus latere absque quo sese prodat.

Secundi problematis resolutio. Cap. II.

ERat secundum problema, quæ sit causa formidinis aquæ; in qua re diuersas inuenio medicorum sententias. Rufus ephes. ut habetis apud Paulum lib. 5. cap. 3. & Aetium lib. 6. cap. 24. duas causas affert, propter quas qui laborant hac egritudine usque adeo formident aquam; una est, quòd cum hac passio sit melancholica, & proprium sit humoris melancholici inducere timorem, iccirco sequitur aegros aquam formidare. Altera ratio est, quòd laborantes hoc morbo dum

intuentur aquam, propriam imaginem in ea spectant adeo
rubeam, & horrendam, ut magnus timor ipsis incutiat. Ra-
tionem primam Ruffi amplexati sunt Razes. 8. ad Mansorē
cap. x. & Haly abbas 3. Theor. 10. Sed quamquam hæc cau-
sa à grauisimis medicis fuerit comprobata, tamen accommo-
data mihi non uidetur primo, quia timor, qui sequitur melan-
choliā nā solum sequitur ipsam ex proprietate, uerum etiā
propter humoris frigiditatem: Ceterum hydrophobia, ut testā-
tur omnes sequitur humorem feruidum, & siccum; unde non
debet hac ratione fieri timor. Sed dato etiam, quod sequatur
timor humorem melancholicum, non sequitur timor determi-
natus, sed timor in uniuersali, in hoc affectu timor determina-
tur ad omne genus liquorum, & præsertim ad aquam. Nam
placet etiam secunda causa à Ruffo proposita, eò quia non so-
lum fugiunt ægri aspectum aquæ, uerum etiam nomen, & so-
nitum, immò uerò dicebat Damocrates apud Gal. 2. de an-
tid. cap. 15. quod commorsi à cane rabido, si uel tantillum a-
qua intueantur, statim tremunt, & conuelluntur; Alii, ut re-
fert Paulus, opinati sunt ideò timeri aquam à commorsis à
cane rabido, quia dum intuentur aquam, ob imaginationem
corruptam uidentur uidere canes, & propterea cum à cane
malum acceperint, fugiunt aquam, uel quia in memoriam re-
uocant lesionem, uel quia ob corruptam imaginationem timēt
se iterum posse lædi à cane rabido: atque hanc sententiam ui-
detur sequutus Conciliator differentia. 179. Sed hæc sententia
mihi etiam probari non potest; primò quia, ut docet Fracasto-
rius, nunquam satis laudatus, multi ab hac ægritudine libera-
ti, atque rogati nunquid in aqua uidissent canum imagines, re-

sponderunt se nequaquam uidisse. Præterea, ut dixi contra
 Ruffum, non solum timetur ab istis conspectus aquæ, uerum et
 nomen, & sonitus, postremò quid dicemus de iis, qui contra
 xerunt non ex morsu, sed ex contagio? sanè isti non possunt
 formidare imagines canum, quia ab illis nunquam sunt lesi.
 Alii, ut docet idem Paulus, existimarunt timorem fieri pro
 pter nimiam siccitatem, propter quam putantes isti, nè ab a-
 qua cerebrum arefactum perinde ac calx dissoluatur, abhor-
 rent, & fugiunt ipsam, atq; hanc sententiam uidetur sequutus
 Alzar. & Xantes Ardoinus in libro suo de uenenis. Auicē-
 nas, qui adscripsit hanc sententiam Ruffo eph. improbat hac
 ratione, quia dispositiones præternaturales cupiunt contraria,
 itaq; si esset propter siccitatem dicit Auic. deberent potius ap-
 petere humiditatem aquæ, non autem formidare. Sed, Auic.
 improbatio nulla est; quoniam qui hac ægritudine sollicitatur,
 utique appetunt aquam; sed quod miserimum est omnium id
 quod appetunt, maximè fugiunt; quapropter damnanda est
 hæc sententia alio modo. s. quia qui hydrophobia laborant ha-
 bent ratiocinationem, & discursum corruptum, quo fit, ut ne-
 que discurrere possint, neque ratiocinari an cerebrum ipsum sit
 humidum, siccum ita. ut ratione huius cogitationis debeant
 postmodum abhorrere humidum.

Razes Sophista, ut refert Conciliator differentia 179. reddens
 rationem timoris aquæ in hoc morbo duxit iccirco ipsum fieri,
 quia aqua subingrediens meatu uentriculi offendit, & simili-
 ter phantasiam corrumpit, qua corrupta sequetur timor ille ir-
 rationalis. Quis fuerit ille Razes me sanè latet, nisi fuerit Cas-
 sius TatroSophista uocatus, hic enim probl. med. 73. Conatur
 red=

reddere rationem trium effectuum, qui conspiciuntur in hydrophobia. Primò inquit aquam offendere uentriculum horum eo quia ingrediens meatus uentriculi exiccatos maxime lædit, quòd non facit cibus, quia ob suam crassitiem non ingreditur poros subriles stomachi; subinde cum ledatur uentriculus, inquit leduntur etiam membrana cerebri propter consensum; quibus læsis, læditur phantasia, addit author ille inter uisum, & stomachum esse mirum quendam consensum, propter quem ægri uisa aqua stomachus statim coafficiatur, quo affecto inducitur odium aquæ; sed hic discursus uiri est totus methodicus: fuit enim è secta methodicorum, quapropter multas contradictiones sustinet; sed illa præcipua est; quòd timor aquæ non solum ex uisu generatur in istis, uerumetiam ex auditu. Accedit etiam, quòd non semper offenduntur ab aqua, immo uerò, ut audietis suo loco, inter præcipua remedia hoc numeratur à Celso, ut ægri mergantur in aquam, quia si potet aqua, aufugit timor Gal. in lib. de Theriaca ad Pison. cap. 16. de hac re sermonem habens uidetur hanc sententiam sequutus, quòd commorsi à cane rabido timent aquam, quoniam corruptum habent mentis iudicium: Sed hæc ratio, admodum uniuersalis est, neque ex animis nostris dubium tollit. Propterea enitendum est nobis aliam rationem reddere, quàm ut exacte intelligatis memoria repetere debetis id, quod antea diximus, scilicet formidinem aquæ non contingere, nisi in extremis diebus: ita quòd quando ægri cæperint formidare aquam, duobus, uel tribus diebus intereunt; quamquàm Pancetus Cardinalis lib. suo de uenenis dicat interdum formidantes aquam superviuere .12. diebus. Cum igitur hæc passio contingat postremis die-

DE VENENO

bus eo tempore contingit, ut iam cerebrum, stomachum, secur
 & omnia fere uiscera sint extincta. Cum igitur Gal. 3. in ter
 tium epid. tex. 57. referat in ea peste contigisse, ut agri eligeret
 potius mori, quam cibum sumere: atque id totum contigerit
 propter stomachi grauem lesionem, fit etiam, ut in casu nostro
 dicendum sit non alia ratione fieri timorem aqua, & omnium
 potulentorum, nisi quia stomachus ita uitiat, ita extinctus
 est, ut neque liquores sustinere queat, sed dicetis: cur igitur po
 tius aquam timent? puto ego, quia agri, & praesertim, qui si
 tiunt maxime amant potum aqua; quo fit, ut etiam potent a
 quam, ubi potant aquam, atque ab hac maxime offenduntur,
 deinde memoria lesionis magna fit, ut in posterum semper a
 bominentur aquam: neque enim puto ullum ex his agris for
 midare aquam, nisi aliquando prius potarint, & uehementer
 fuerint laesi.

Tertii problematis resolutio.

Cap. 12.

FRat tertium problema de imaginibus, seu formis Catu
 lorum, quae dicuntur uideri in urina formidatium aqua,
 in qua re possem dicere & ego, quod alii multi dicunt. s. nu
 gas esse; sed concedamus hanc rem ita esse. Conciliator ut hu
 ius euetus rationem explicaret loco nuperrime citato, tria pra
 supponit capta ex fundamentis philosophiae, unum est, quod
 effectus miri, & magni oriuntur ex fortitudine agentis, &
 dispositione patientis. Alterum, quod in timore aquae adsit
 fortitudo agentis, & probat, quia hic morbus proficiscitur a
 ueneno calido, & sicco, & huiusmodi uenenum est maxime

efficax, accedit etiam dispositio patientis, quia urina corpus
 humidum est, corpora humida facile recipiunt formas, ter-
 tium est: omne, quod deducitur ab aliquo, retinere formam ali-
 quam eius rei, à qua deducitur: ex his suppositis colligit Con-
 ciliator fieri posse, ut urina, quae proficitur à corpore uel cani-
 no, uel canum more affecto retineat formam canis, eo quòd de-
 ducitur à tali corpore, adest fortitudo agentis, & dispositio
 patientis: Sed, haec Conciliatoris sententia, ut opinor minime
 potest sustentari, quia, si hoc uerum esset, etiam in aliis casibus
 possent urina uario modo figuratae emitti, quod tamen nunquã
 memoriae proditum est, qui commorsi sunt à serpentibus, pro-
 culdubio habent omnia ea, quae habent commorsi à cane ra-
 bido, fortitudinem agentis, s. ueneni, dispositionem patientis.
 itaq; deberent etiam necessario apparere imagines serpentum
 in urinis eorum, qui sunt commorsi, quod tamen nunquã pro-
 ditum est. Gentilis in comm. super sextam Fen. 4. tract. 4.
 cap. 7. alia uia conatus est huius euentus rationem reddere, ubi
 quinque ante alia supponit; Unum, quòd excrementa, quae
 decidunt ab animali peracta ultima digestionem habent com-
 plexionem eorum membrorum, à quibus decidunt. Alterum,
 quòd spuma deciditur per ultimam digestionem factam prae-
 fertim circa uiscera principalia, s. iecur, cor, & cerebrum, ter-
 tium id, quod potest mutare ad complexionem, posse etiam
 mutare ad formam, & figuram, quae sequitur eam comple-
 xionem; quartum omne uenenum disponens humiditates se-
 cundum suam complexionem disponere easdem secundum for-
 mam, & figuram. Quintum est uenenum canis rabidi dispo-
 nere humiditates corporis secundum suam figuram, & for-

mam; ex quibus omnibus suppositis clarissime colligitur secundum hunc uirum formas in urina apparere tales, quia uenenum canis rabidi disponit urinam secundum formam eius membri, à quo sumptum est uenenum; Quae sententia Gentilis & si Susius sit explicata, uidetur tamen eadem esse cum sententia Conciliatoris: & quia uidebat Gentilis instantiam, quam ego nuperrime feci. s. non intelligi propter hoc cur potius in commorsis à cane rabido contingat, quàm commorsis ab aliis animalibus; ideo occurrens huic obiectioni, inquit cetera uenena prius iugulare homines, quàm possint figurare excrementa: uenenum autem canis rabidi multo tempore latere, & propterea posse longo temporis interuallo figurare excrementa, quod non possunt alia uenena, quasi dicat Gentilis, si reperirentur alia animalia, ex quorum moribus uenenum posset diu latere in corpore, idem faceret, quod facit morsus canis rabidi; Discursus Gentilis sane ingeniosissimus est, sed in re, omnium maxima grauissime peccat, quòd, s. tribuat effectus formatrix facultatis ueneno. Nam facere, figurare, & formas corporum, ut nostis, ex Gal ubique est opus solius formatrix facultatis, quae an Deus sit, an quicquam aliud se ignorare Gal diuinam eam esse fatetur: Si igitur formare est opus diuinae facultatis, qua fronte potest hoc Gentilis attribuere ueneno? igitur in hac re, si uera est, dicendum quod dixit sapientissimus ille Auenzoar lib. I. tract. 9. cap. 15. s. fieri non posse, ut reddatur uera causa huius effectus: etenim multa alia habentur in hoc nostro orbe sublunari, quorum non est hominis rationem ueram reddere. Sed si haec responsio non est grata, dicà & aliud, quod potest dici. s. hoc totum dependere ex imagina

zione corrupta; puro unumquemq; hoc obseruasse, quod quando febricitamus, & caput turbatum habemus litura, & linea, q̄ sunt in parietibus representant nobis figuras animalium uarias, & diuersas non ob aliud, quam, quia imaginatio corrupta, fingit ex illis lineis sibi animalium formas; idem dico euenire in hoc casu, quod aegri cum corruptam habeant imaginationem, & semper gerant in animo imaginem canis, à quo sunt laesi, fingunt sibi lineas illas, & sedimenta, quae sunt in urinis esse canes: unde postmodum referunt aliis sese uidere in propriis urinis canes, id quod etiam contingere potest adstantibus, quia adstantes uel timore, uel aliqua alia passione si habeant corruptam imaginationē, possunt sibi fingere formas eas Catulorum.

Triplex modus fugandi morbum. Cap. 13.

Cum itaq; morbus iste sit adeo durus, & saecus in eo fugando triplex modus esse debet. Unus est, ut praesertim homines à morsu canis; alter uero, ut postquam commorsus fuerit ita tractetis, & curetis aegrum, ne incidat in timorem aquae, qui solet esse extrema perniciēs in hoc morbo. Tertius modus est, ut cum adsit iam timor aquae, eum tollatis.

Primus modus arcendi morbum. Cap. 14.

Primus modus est, ut caueatis ne mordeamini, uel ne contrectetis aliquam rem commorsam a cane rabido, ne spumam canis rabidi ulla ratione tangatis; ne caetera animalia commorsa à cane rabido habeatis, propter quod iure factum est, ut leges concesserint cuilibet huiusmodi belluas interimere: haec autem, ut facilius fieri possint studendum est, co-

75
 gnoscere canes rabientes iis indiciis, quae tradita sunt nobis à Dioscor. lib. sexto à Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem, & ab Auicenna. Cognoscetis autem, quia canis rabidus tristis est, angustiosus, solitarius, timet aquam, tenebrose uidet, aspectu horribilis est, neque comedit, neque potat, tremit, mouet auriculas, curue incedit, ac ueluti ebrius, & praecipit in omni passu, si quid obuium sibi sit, statim cum latratu inuehitur contra, siue sit panis, siue arbor, siue quicquam aliud, adeoquod alii canes instinctu quodam naturali aufugiunt ipsum, exerit linguam rubram, nigram, ab ore emittit spumam, à naribus totam quandam mucum, urina nigra est, turbulenta, color cinereus, corpus eius pustulis plenum est, oculi ualde rubentes, ad haec tempus anni summè calidum aut unnalem uel etiam summè gelidum secundum nonnullos; uictus praecedens etiam signum est. V. G. si canes uictitarint carnes corruptas, rebus uenenatis. Atque tot sunt indicia, quibus cognoscere poteritis rabientes canes, ut sciatis uos ipsos, & alios praeseruare, ne mordeamini.

Secundus modus tollendi morbum Cap. 15.

VT curatio post morsam rectè institui queat, enittendum est, ut cognoscere possitis an morsus uenenatus sit, an ueni expers, & hoc, quoniam scriptum est à Gal. in lib. de constitutione artis Cap. ij. difficile esse cognoscere ex ipso uulnere, an morsus sit uenenatus, necne. quoniam quod ad morsum pertinet nulla ferè constitui potest differentia inter morsum canis rabientis, & morsum non rabientis. Modus autem hoc cognoscendi omnium optimus est ille, quem docuit Oribasius a

pu^d Paulum, lib. 5. Cap. 3. scilicet ut habeantur nuces iuglan-
des, atq; optime conterantur, contritae imponantur uulneri.
Et postridie acceptae offerantur edendae gallo, uel gallinae.
Nam ubi ederint has nuces, si canis fuerit rabiosus, statim in-
tereunt, sin autem non fuerit rabiosus, nihil patitur gallus, aut
gallina. Sunt qui curant panis micas affricari uulnerum, dein
de offerri canibus, aut gallis; si canes comedunt panem, morsus
uenenatus non est, sin autem canes non comedant panē, signum
est morsum uenenatum esse: alii sanguinem ex uulnere extra-
hunt, Et cum farina offam faciunt, quam deinde offerunt
gallinis, si ederint atque canis rabiosus fuerit, intereunt, sin mi-
nus, non intereunt, idem experimentum faciendum esse de tri-
tico laudat Apuleius apud Aggregatorem. Hi sunt modi,
quibus cognoscere licet, an morsus fuerit canis rabidi, necne:
qui modi, ut dicunt nonnulli non respondent semper, ueruntame-
n meliores his apud medicos non habentur. Ubi igitur co-
gnitum uobis fuerit uulnus factum esse à cane, uel alio anima-
li rabido, statim opera danda est, ut curatio instituat, Et
haec non est differenda, etsi morsus uideatur minimus; dicebat
nanque Posidonius apud Aetium, quod nemo euadit à mor-
su canis rabidi nisi à principio statim fuerit bene curatus.
Sunt uero curandi hanc affectionem duo praecipui scopi, ut
colligere potestis ex Gal. lib. de sectis. cap. 4. et 8. Primus sco-
pus est, ut uenenum extrahatur antequam per uniuersum cor-
pus propagetur. Alter scopus est, ut membra praecipua, Et ui-
scera ita defendantur, ita confirmentur, tum extrinsecus, tum
intrinsecus, ut uel depellant à sese uenenum, uel saltem extin-
guant, hoc uero fit tum diaeta, tum pharmacia: ubi igitur uo-

bis occurreret haec affectio, id agendum erit, quod scribit Gal.
lib. de Theriaca ad Pisonem, facere omnes rationales medi-
cos, scilicet ut uulnus dilatetur, dilatatur uero, si caro circunci-
datur, atq; uulnus circulare fiat: Sic enim efficitur, ut loco dis-
atato uenenum facilius exire queat, atq; diutius aperto uul-
nere, diutius quoque uirus omne debellari, & exire possit.

Posidonius apud Aetium laudat, ut scarificetur locus, at-
que extrahatur sanguis, similiter locus ille inuratur, id quod
commendauit quoq; Diosc. lib. 6. propter. 3. causas. Prima
est, quia praestantissimum omnium remedium est, inquit, ignis.
Altera est, quia nihil est, quod faelicus, & efficacius omne
genus ueneri domare, possit ipso igne. Tertia ratio est, quia si
uratur uulnus, cum necessario apertum maneat, efficitur fir-
mum quoddam, & tutum totius curationis fundamentum: cura
to uulnere statim in usum adhibenda sunt medicamenta quae
possint uenenum e morfu extrahere: multa huiusmodi propo-
nuntur, a medicis, Galenus autem in lib. de Theriaca ad
Pisonem, testatur sese maxima faelicitate expertum esse
Theriacam oleo Ros. eliquatam, & linamentis impositam.
Laudat Dioscorides, salsamenta, allia, cepas impositas, grana
tritici, & multa alia habentur apud medicos, quae possunt in
usum adhiberi. Ubi uulneri prouisum fuerit; quod, ut dixi,
quam citissime agendum est, deinde instituenda est uiuendi
ratio: de qua scribens Diosc. dicebat eam duos fines habere
debere, unum ut uenenum hebetet, atque extinguat; alterum,
ut nullo pacto uenenum ad uiscera penetrare permittat, Qua
propter ante alia continendus erit ager in loco, & aere medio
criter calido, somnus, & uigilia moderata esse debebunt; animi
pas=

passiones sunt arcenda, præsertim maror, timor, & ira: exer-
 citationes corporis conueniunt, sed quæ non multum calefa-
 ciant; profunt uero frictions iuges, sinapismi, dropacismi, &
 omnia, quæ prouocant sudorem; sudor namq; in omni ueneno
 remedium efficacissimum est, in morsu canis rabientis nihil fe-
 re efficacius ipso inuenitur; ut iure C. Celsus commendauerit
 sudoris excitationem. Aluus lubrica seruanda est, in potu u-
 rendum consulit Diosc. uino, passo, lacte: cibus is esse debet, qui
 facile coquatur, qui optimè nutriat: Vnde panis optimè fermè
 tatus accommodatus est, præsertim si aliquo aromate condia-
 tur, carnes optimarum auium; laudat Auic. arietis carnem as-
 fatam, & uino acceptam, id quod potius consulit Auic. pro-
 pter proprietatem quandam secretam, quàm quicquam aliud;
 inter pisces conueniunt cancri fluuiatiles, gammari: ex fructi-
 bus carica, nuces iuglandes, amygd. pistacia. Inter herbas lau-
 dat Dioscorides allium, cepam, porros, rumicem, asparagum,
 brassicam syluestrem; laudat similiter omnia, quæ prouocant
 urinã. Id etiã summopere notãdum est, quod etiã notauit Ae-
 rius, curandum esse, ut ægri nullo pacto fame laborent, sed po-
 tius ut saturi, quàm uacui maneant: & ratio est; quia mem-
 bra inanita si non habeant cibum, & alimentum, quod attra-
 hant, attrahunt uenenum; adeo quòd uenenum in uniuersum
 corpus, & præsertim in uiscera citissime, & faciliter propage-
 tur. instituto uictu ad purgationem accedendum est. Sed ante
 quam purgatio instituat, consultatio habenda est, an sangui-
 nis misio conueniat, in qua re multi uaria, & diuersa propo-
 nunt. Ego uero hanc rem ita decernendam statuo, ut uideatur
 in primis, an qui commorsus est à cane, sit sanguineus, necne. Si

non sit sanguineus, mea est sententia non esse cogitandum de
 missione sanguinis: si non sanguine abundet, cogitandum est,
 num sit principium affectus num potius morbus progressus sit,
 si sit principium affectus abstinendum est à sanguinis mis-
 sione: ratio est, quia periculum est, ne uenæ sectione uenenum, quod
 est in extremis partibus, totum trahatur in initium, loco autem
 sectionis uenæ melius est, ut cucurbitulæ adhibeantur locis pro-
 ximis, loco morso, atque ex cucurbitulis extrahatur sanguis
 quod tamen de alio corporis loco, intelligendum est, & non de
 sola parte commorsa sicut intelligebat Celsus, quando lib. 5. ca.
 27. scribit, quod si locus inuri non potest per cucurbitulas san-
 guis huiusmodi mutatur. Si extra principium fuerit affectus,
 tamen mittendus est sanguis, sed mediocri quantitate, & à
 brachio proximior loco affecto. Ubi de sanguine habita fue-
 rit consideratio, superest, ut humores præparentur: in qua præ-
 paratione debebitis semper illud ante oculos habere, ut admi-
 nistrentur ea, quæ putantur opitulari hydrophobia: quare po-
 teritis parare huiusmodi decoctam.

Recipe scordii ʒ ii. unicetoxici, pulegii, hypolapathii, artemisia
 6. M. s. rad. angelicæ ꝑnc. s. fiat decoctio. s. a. deinde Recipe
 dictæ dec. ꝑnc. iiii. syr. de corr. citris de succo accetoſa, de scord.
 6. ꝑnc. s. mi: & fiat potus; atq; hoc potu utendum erit per
 7. uel 9. dies. prout occasio sese offeret: ubi uerò præparati fue-
 rint humores, sunt quamprimùm euacuandi iis medicamen-
 tis, quæ utramq; bilem è corpore educere putantur, lena talis
 est, epithymus, elleb. niger, myrob. nigri, confectio hamech pill.,
 de lapide lazuli, de bolo arm. cucurbita syluestris, ex quibus
 medicamentis. siue uelitis pilulas, siue potionem, siue electua-

rium potentis uobis componere eo pacto, quo pluries docui componenda esse medicamenta, quæ ducunt bilem. Diosc. qui duxit deiectionem in hoc morbo ualde utilem esse, laudauit elleborismum, qui quomodo paretur, & quomodo sit administrandus traditum habetis apud Oriba. 7. collecta. & G. in libro, quos, & quantum purgare oportet. Purgato corpore, utendum est iis medicamentis, quæ à proprietate possunt uenenum hoc extinguere, & uiscera confirmare: inter quæ medicamenta Diosc. lib. 2. cap. 38. ex sententia aliorum laudat hepar canis rabidi in puluerem reddactum, & potui datum, quod remedium Gal. 8. de medic. loc. non uidetur admodum commendasse, quasi inutile sit, relatum tamen est mihi à doctissimo nostro auditore Polono in iis Regionibus huiusmodi remedio has affectiones curari. Fit & aduersus hunc morbum confectio ex cancris fluuiatilibus, quam descriptam habetis apud Gal. 2. de Antidotis. Ciuis, pellis hyenæ animalis potus magnopere conferre putatur: immò Scribonius largus scribit Crentensem quendam fecisse, qui hydrophobos huiusmodi remedio seruauit, refertur etiam à Plinio monstratam esse quandam herbam in somno cuidam mulieri cynorhodon appellatam, quam mirifice dicit contulisse aquam timentibus. Theriaca maximè celebratur in curatione huius morbi apud Galen. & Paulum, dico Theriacam, non quidem Diateseron, sed magnam. Nam de Theriaca, quam diatesaron uocata est, dubitatum est apud Conciliatorem grauissimis hinc inde rationibus, an conueniat. Interim tamen curandum est diligentissime ut semper ulcus apertum conseruetur, usquequò uniuersum uenenum abierit, & ut cognoscere possitis, an abierit uenenum

docet uos Paulus, ut. fiat cataplasma ex nucibus iuglandibus, & ulceri apponantur: ubi etiam detineatur per unam, aut alteram diem, postmodum cataplasma illud offeratur gallo, uel gallinae, quod ubi animal istud ederit, si moriatur, signum erit nondum esse expurgatum ulcus ab omni ueneno, et propterea satagendum erit, ut apertum adhuc conseruetur. quod si animal pastum hoc cataplasmate non interierit, signum erit quicquid erat in ulcere ueneni absumptum esse, & propterea tempus esse, ut claudatur, & ad cicatricem perducatur, id quod agendum erit iis medicamentis, quae possunt in moribus cicatricem ulceribus obducere. Atque haec est ratio curandi morsum canis rabidi, antequam ad aquae timorem peruenierit.

Tertius modus curandi affectum. Cap. 16.

Vbi uero adfuerit timor aquae, tum morbus, ut audiuitis, grauisissimus est; & ita grauis, ut nemo ueterum ausus sit curationem huius affectus scribere. Audiatis rem miram: scribit C. Aurel. lib. 3 de morb. acutis. cap. 16. Themisonem medicum, qui tentatus fuit hac affectione interdum aggressum esse curationem eius tradere, sed ubicumque scribere inchoauit, semper tentatum esse hac affectione; & propterea destitisse ab ea describenda. Celsus lib. 5. cap. 27. qui primus omnium de curatione huius affectus scripsit, tradit unicum remedium esse, ubi iam timor adest, ut aeger inopinatum mittatur in piscinam, & si natandi peritiam habeat, ut permittatur natate, sin ignarus sit huius artis, ut inuitus potare cogatur, quasi, si huiusmodi aegri potent aquam, & copiose potent, possint

seruari. C. Aurelianus damnat hoc genus remedii, eo quia, inquit, saepe aegri ex huiusmodi immersione incurrunt conuulsiones, contractiones, & alia mala. sed respondere possumus C. Aureliano, ut tueamur Celsum, quod etiam Celsus prauidit periculum huiusmodi, & propterea post immersionem iussit, ut totum corpus eorum oleo tepido foueatur, quippe quod maxime efficax sit ad tollendum omne imminens conuulsionis periculum. Sed dicetis, quomodo potest aquae potus prodesse? nam dixi in praeterita lectione, quod à potu, uel minimo aquae offendantur, & propter memoriam lesionis deinde abhorrere aquam, igitur non uidetur optimum consilium esse, quod tradit Celsus. Dico, quod cum morbus iste positus sit in insigni in temperie calida, & sicca, huiusmodi intemperies ab exiguo potu aquae iuuatur potius, & augetur, à potu uero copioso extinguitur: & propterea iure Celsus consulit, ut immergantur aqua, ut maxime, & copiose potent, ut. s. ex largo potu extinguatur summa intemperies.

C. Aurel. ubi formido aquae agros tentare incipit, iubet habendum esse agrum in loco mediocriter calido, & lucido, defricari, & uigilantem detineri: quo tempore laudat etiam, ut amici agro adsint, qui consolentur, coarguant, & errores ipsi demonstrant: & quia tota ferè curatio in hoc est posita, ut aegri bibant, iure assuesfaciendum esse uentriculum commēdat rebus liquidis, & potabilibus: propter quod Chlsteres, ex aqua, & oleo saepius iniiciēdos iubet. Circa cibum exhibēdum tria sunt magna obseruatione digna: qualitas, tempus, & modus.

Quod ad qualitatem pertinet, debet esse sordidus, ut alica, & ptisana, & panis tritus liquidiusculus, brodia cum vitellis o-

ui, & haec, ut quemadmodum duxi, assuefiat stomachus sustinere aquam.

Tempus autem exhibendi cibi est in remissione morbi, ubi. s. symptomata mitigantur; quo tempore, ut possint aegri cibum capere, mandat C. Aurel. coram ipso sermonem habendum esse de lauacro, de potu, de aqua, ne. s. expauescat, ubi cibus offertur. Quòd si cibus debitus unica uice offerri non possit, eritendum est, ut pluribus uicibus exhibeatur. Modus uerò exhibendi cibi debet esse, ut fenestrae claudantur, ne à rebus potabilibus deterreatur, & quia diximus etiam sonitum aquae formidare, prouidendum est similiter, ne sonitus ab ipsis audiatur. Gal. 2. de Antid. cap. ult. vult, ut uas, ex quo potat panne tegatur, & per pannum transcoletur potus; Alii sunt qui uasa parant cum foraminibus, & fistulis instar pepillarum, quas in ore ponunt, & tacitae per ipsum instrumentum cibum infundunt. Ubi morbus augmentum accipit, est omnium sententia fouendum esse corpus aegri oleo dulci, & tepido, & ne sonitus percipiatur liquoris, spongiarum imbuendas esse, & apponendas. An conueniat, ut sanguis mittatur, est sententia C. Aurel. quòd si morbus interdum remittatur, ita ut in principio huiusmodi remedium possit administrari, mittendus est, sin minus desistendum. Sed tutius est mea sententia, ut ab hoc remedii genere abstineatur, ratio est, quia, ut dicebam, formido aquae ubi aduenit, ferè virtutes omnes sunt extinctae. Fuerunt inter veteres, qui etiam laudarunt elleborum non modò potu acceptum, uerum etiam per clysteres infusum, & extrinsecus umbilico appositum; Sed duae me rationes impellunt, ut hoc consilium damnem. Una est, quòd elleborus, &

praesertim albus, de quo loquimur, maxime commouet cor-
 pus, & propterea solummodo administratur in morbis Croni-
 cis, in quibus possunt homines sufficere commotioni medicame-
 ti: morbus autem hic acutissimus est, ac saepe vires fracta sunt.
 Quapropter neque Dioscoricorum neque Agathinorum laudo, qui in formi-
 dine aquae elleborum sumptum commendant; alia ratio est,
 quia elleborum nunquam dare debetis sine ea exquisita praeparatione, quam docuit uos Galenus in lib. quos, & quando purga-
 re oportet, in hoc morbo praeparare non possumus unquam cor-
 pus, quapropter satius esse duco Cantarides administrare, ut
 consulit Auicenna, uel catapotia illa ex castoreo, & lathiride con-
 secta, quae probata sunt à Galeno 2. de Antidot. cap. ult. quo in
 loco scribit etiam aquam illam, in qua fabri extinguunt fer-
 rum si exhibeamus aegro, artifice inscio mirifice prodesse; est
 quidem Galeni sententia, sed non propria, uerum deprompta
 ex sphaera medico. Interim defendendum est perpetuo cor, &
 iecur Theriaca, quam mirifice laudauit Galenus, & extra
 administratam. Sunt & multa alia medicamenta à scripto-
 ribus nobis tradita, quae prodesse dicuntur, ut est dens canis ra-
 bidi alligatus, habet & religio auxilia in hoc morbo, nam se-
 re apud unamquamque nationem est aliquis sanctus, cuius pre-
 cibus credunt curari huiusmodi commorsos à cane rabido.
 Illud uos notare uolo pro fine huius, quod scribit Galenus 2. Apho-
 ris. 22. multa referri medicamenta à scriptoribus ad hydropho-
 bos, quae medicamenta ne decipiimini, non conferunt curatio-
 ni hydrophobiae, sed potius praeseruant commorsos ab hac ex-
 trema pernicie.

Errata, quæ sensa uel immutent, uel deprauent aliquo
pacto, sic corrigito.

Pag. 1. lin. 13. quædam. p. 1. b. l. 5. sympos. p. 2. l. 12. psydracia. p. 3. b.
l. 10. tentetur. p. 4. l. 18. sectione. p. 4. b. l. 9. spleneticis. causam. l. 14.
causas. l. 18. sectione. l. 22. iugulabantur. p. 5. l. 9. macula. l. 20. capi-
untur secundo. l. 25. Comparantur quarto. p. 5. b. l. 9. solutionem. l.
19. lib. 5. l. 21. huiusmodi: qui autem. p. 6. l. 1. lissimæ. ead. quia. p. 8.
l. 10. aes. p. 8. b. l. 5. macula. l. pen. genus. p. 9. l. 19. tur. Sed. l. 21. sum-
mus. p. 9. b. l. 7. permotus. p. 10. l. pen. contingit. p. 10. b. l. 2. pestifer
p. 11. l. 15. simul. Pura sym- l. pen. de phlyctænis. p. 12. l. 21. inceden-
dum. p. 12. b. l. 14. efficacissimum. p. 13. l. 15. pestiferam. Quod si. l.
18. secundum uirium. l. 25. mitia. p. 13. b. scrup. scrup. scrup. l. 8. di-
ctæ decoctionis, unc. iiii. l. 10. misce. Hoc. l. 14. & 15. etiam si mo-
tus. l. 19. est quod. p. 15. l. 11. lytolypti. l. 13. Cælius Aurelianus. l.
18. aquæ. l. ult. uerum etiam animus. p. 15. b. l. 18. uelint nolint po-
tent. p. 16. l. 4. magnopere. l. 10. 11. materia deusta. l. 22. Fernelio
l. ult. rabie. p. 17. l. 6. 7. post quam. p. 17. b. l. 2. semina huius labis. l.
19. aliorum. l. 24. itaque uidetur. p. 19. b. l. 7. inuentum. l. 15. Pom-
peii. l. 16. Hippocrates. l. 22. menses. Refert. l. 23. Gal. 1. Porret. p.
20. l. 10. sunt. l. 21. Contra quam. l. ult. mulorum. p. 20. b. l. 4. quæ
fit in hominibus. p. 21. b. l. 8. uox obtunditur. l. 17. hydrophobum.
p. 22. l. 6. 7. spes est curationis. p. 22. b. l. 23. suo parari. l. 24. occide-
ret. p. 23. l. 18. diu lateat. p. 23. b. l. 2. a se depellat. l. 4. tum offendit-
tur. p. 24. l. 3. ad Almansorem. l. 7. non solum. l. 13. Non placet. p.
24. b. l. 10. Santes Arduinus. l. 11. Ruffo Ephesio. l. 20. iporum. l. 21
humidum, an siccum; ita. l. 24. dixit iccirco. l. 25. meatus. l. 26. sequi-
tur. l. 27. Razes. l. ult. Iatrosophista. l. ead. med. 73. conatur. p. 25. l.
26. Poncetus. p. 25. b. l. 1. stomachus. p. 26. b. l. 2. fufus fit ex. p. 27.
l. 15. & sauus. p. 27. b. l. 11. taetrum quemdam. l. 13. autumnale. l. 15
carnibus corruptis. l. 20. post morsum. p. 28. l. 15. intereunt. l. 6. affi-
cari uulneri. p. 28. b. l. 4. 5. dilatato. Reliqua, quæ pertinent ad
rectam scribendi, & interpungendi rationem diligens lector per
se emendabit.

